



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Incarnatio Mystica Sive Christiformitas**

**Roger, Nicolaus**

**[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37940**













N. 2166.

J. II  
g.





















INCARNATIO MYSTICA

Sive

CHRISTIFORMITAS,

Opusculum ex variis Sanctorum

AUGUSTINI & BERNARDI

locis ferè contextum,

per

R. P. NICOLAUM ROGER

Soc. Jesu, Doctorem Theologum,

Et

REVERENDISSIMO ac CELSISSIMO

PRINCIPI

HERMANNO

VVERNERO,

Electo Episcopo Paderbornensi,

Comiti Pyrmontano, &c.

Domino suo Clementissimo

IN STRENAM OBLATVM

*dmv. à p. Kuppenburg*

Sodalitate Majori

B. MARIE Virginis Annuntiatæ

Paderbornæ.

*Collegii Sociis Jesu Paderbornæ.*

ANNO MDCLXXXIV. 1694.



INCA REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS

ALGONQUINIS REPERTORIUM

DE REBUS INDIANIS

EX VARIIS AUCTORIBUS





CELSISSIME  
PRINCEPS,  
CLEMENTISSIME  
DOMINE.

**R**espice benigno vultu, & gratiosâ manu accipe libellum  
Tuo amore dignum, Tuis votis  
conformem. Libelli argumentum  
EST INCARNATIO MYSTICA,  
sive JESUS dilectione, & imitati-  
one in nobis formandus. Nihil est  
Tuo amore dignius, quàm JESUS,  
amor Tuus. Nihil est votis Tuis  
conforme magis, quàm, ut JESUS  
in Te, & in omnibus Tuis per imi-  
tationem exprimatur. Nimirum  
arbitraris, & hunc, & omnes regi-  
minis Tui annos fore felices; si,  
Te



## DEDICATIO.

Te Principe, regnet JESUS per amorem in corde, & per imitationem in opere. Vivat itaq; æternum in Te, & Tuo exemplo in omnibus Sodalibus Marianis, mysticè per desideria incarnatus, per amorem natus, per opera formatus JESUS, Magnæ Matris Mariæ Filius.

Ita voveo

REVERENDISSIMÆ  
CELSITUDINI TUE

Devotissima

Sodalitas Major  
B. Mariæ Virginis  
Annuntiatae.

INDEX



# INDEX CAPITVM INCARNATIONIS MYSTICÆ.

## PARS PRIMA.

Apparatus ad Christiformitatem.

Cap. I. Fides incarnationis, Nuntius mysticus  
Christiformitatis. pag. 1.

Cap. II. Multiplex convenientia incarnationis. 13.

Cap. III. Necessaria ad Christiformitatem ob-  
umbratio spiritus sancti mystica. 24.

Cap. IV. Quadruplex dispositio proxima ad  
Christiformitatem praeursor mysticus. 27.

## INCARNATIONIS MYSTICÆ

### PARS SECUNDA.

Conceptio Christi mystica, sive  
Idea Jesu amatoria.

Cap. I. Necessitas Idea Christiformis. 44.

Cap. II. IESVS amabilis ob gratiã unionis. 48.

Cap. III. IESVS amabilis ob intellectus do-  
166. 58.

Cap. 4.



## INDEX CAPITUM.

Cap. IV. IESVS amabilis ob dotes voluntatis.	65.
Cap V. IESVS amabilis ob pulchritudinem.	72.
Cap VI. IESVS amabilis ob amorem nostri.	82.
Cap. VII. IESVS amabilis ob beneficia, & divitias salutis nobis partas.	90.
Cap. VIII. IESVS amabilis ob passionem.	99.
Cap. IX. IESVS amabilis ob titulos dignitatis.	110.
Cap. X. IESVS amabilis ob titulos dignationis officiosæ.	136.
Cap. XI. IESVS amabilis ob titulos amatorios.	176.
Cap. XII. IESVS amabilis in figuris	190.
Cap. XIII. IESVS amabilis in suis nominibus.	201.
Cap. XIV. IESVS amabilis in Elogiis ex PP.	207.

INCAR.



INDEX CAPITUM.  
INCARNATIONIS  
MYSTICÆ

PARS TERTIA.

Vita Christi Mystica, sive mores  
Christiformes.

- Cap. I. Christiformitas vita necessaria. 211.  
Cap. II. Christiformitas cum puero IESV in  
parvitate. 223.  
Cap. III. Christiformitas cum puero IESV in  
simplicitate. 241.  
Cap. IV. Christiformitas cum puero IESV in  
puritate. 254.  
Cap. V. Christiformitas cum IESV abscondito  
in silentio & solitudine. 267.  
Cap. VI. Christiformitas cum IESV abscondito  
in oratione. 273.  
Cap. VII. Christiformitas cum IESV abscondito  
in obedientia. 281.  
Cap. VIII. Christiformitas cum IESV pradi-  
cante in mansuetudine. 297.  
Cap. IX. Christiformitas cum IESV pradicante  
in charitate fraterna. 312.  
Cap. X. Christiformitas cum IESV pradicante  
in dilectione inimicorum. 334.  
Cap. XI.



## INDEX CAPITUM.

- Cap. XI. Christiformitas cum IESV, *passiente*  
*Paupertatem, Contemptum, Dolorem.* 346
- Cap. XII. Christiformitas cum IESV *mo-*  
*riente.* 359.
- Cap. XIII. Christiformitas cum IESV in Eu-  
*charistia manente.* 395.

## INCARNATIONIS MYSTICÆ

### PARS QUARTA.

Præces & industriæ ad alendam  
Christiformitatem.

- Cap. I. Præces & usus huius opusculi. 420.
- Cap. II. Miscellaneæ Præces & Industrie ad  
effectus Christiformes. 424.
- Cap. III. Præces & industria ad affectus erga  
Christum in festis ejus, in Cruce & Eucha-  
ristia. 437.
- Cap. IV. Præces & industria ad vitam &  
mores Christiformes. 450.

INCAR-







briel, hoc est, fortitudo Dei, magnarum enim ait Leo Papa, (b) hic vigor est mentium, & valdè fidelium lumen est animarum incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu. Et fides, inquit Guilelmus Parisiensis, lib. de fide cap. 3. est fortitudo, vel generositas nostri intellectus. Manifestum est enim quod credere improbabilia fortitudinis, atque vigoris est nostri intellectus; sicut amare damnoſa, moleſta, & ignominioſa fortitudinis est noſtræ voluntatis. Quare fidem hanc inconcuſſam ac benè illuminatam habere ſatagat anima Chriſtiformitatis ſtudioſa. Huc valet plurimùm myſterii credibilitas & convenientia multiplex. Eo porrò dogmate nihil evidentius credibile eſſe clamant.

I. Ablatio ſceptri de Juda ac ducis de femore ejus Patriarchæ Jacobo Genef. 49. tot ante ſæculis denuntiata ſub Meſſiæ adventum futura: uti & contingit Herode regnante non Judæo, ſed  
(b) *Serm. I. de Aſc.* Anti-



Antipatro patre & matre gentilibus.

II. Hebdomadam 70. nempe non dierum sed annorum, proindeque 490. annorum numerus juxta Daniel. cap. 9. factam à Gabriele Incarnationis administro revelationem, usque ad Sancti Sanctorum, seu ut legunt LXX. Interpretes, Sanctitatis sanctitatum (cui obsecro nisi Deo-Homini id elogii comperit?) Unctionem, id est gratiam unionis sive esse personale divinum gratis humanitati concessum, unde Christus 1. unctus in sacerdotem, Regem, Deum, Itemque usque ad prædicationem ejusdem ac morrem definitus expletusque.

III. Prophetarum de Christi personâ, vitâ, doctrinâ, miraculis, morte, Ecclesiâ illustrissimæ vaticinationes eventu probatæ, & illorum quidem haud sanè ex condicto, utpote longo temporum intervallo diffitorum, mirifica conspiratio à quo tandem nisi ab uno afflata spiritu veritatis?

A 2

IV. Sy-



IV. Sybillarum prædictiones, quarum libros divino planè consilio Augustus Imperator purgavit ante Christi adventum, quo scilicet minus eorum suspecta fides foret, cum inde Christus probaretur.

V. Oraculorum, hoc est dæmoniorum sub nativitatem Christi silentium, quod Ethnici Tullius & Plutarchus diligenter notarunt.

VI. Quid spectabile illud, hodieque horrendum in modum fumans nationis Judaicæ excidium, quale nulli post orbem conditum genti contigit? Cur Judæi carent prophetis, miraculis, tēplo, Sacerdotibus, sacrificio, quibus nunquam aliàs caruere quantumvis captivi & rei? Cur sic dispersi nisi juxta illud *pones eos dorsum* Psalm 30. ut explicat Augustinus, quo circumferant velut bajuli sacros codices, è quibus hostes ipsi vel inviti testimonium perhibeant Christo? Cur tam atroci supplicio affecti velut fraticida Cain per orbem



orbem profugi, cum aliàs nunquam, licet immanium scelerum rei, puta adorati vituli, similem vindictam senserint, cur, inquam, nisi ob Deicidium?

VII. Quid vitæ Christi, ac doctrinæ Evangelicæ sanctitas, quantam nulla secta professæ est unquam, cum ne verbi quidem otiosi licentiam, nedum cogitatus obscæni morulam toleret. Nulla sic ab infimis mentem abstrahit, nulla sic Deo devincit per orationem & charitatem.

VIII. Demonstratio est Evangelica ipsa Evangelii propagatio; Quis non iudicet humanis conatibus esse maius quiddam quod pauculi piscatores, viles, indocti non armorum vi, vel fautorum ope, ac potentiâ, sed morte suâ, non illecebris sensuum, sed durissimo vivendi genere, non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed stultitiâ crucis persuaserint. Quibus? sapientissimis, doctissimis, nobilissimis, a vitæ superstitioni addictissimis, in sæculo



6 CHRISTIFORMITAS,  
politissimo, ac ingeniorum gloria flo-  
rentissimo. quid? res ad fidem obscu-  
rissimas supraque rationis captum  
projectissimas, adeò ut ipsa fides vi-  
deatur audax insania, puta Deum unū  
esse ac Trinum, Jesum inter duos la-  
trones cruci suffixum esse Deum, sum-  
moque cultu adorandum, ac tam ar-  
duo per Evangelicum illud odium sui  
usque ad inimicorum dilectionem, ut  
nil inolitæ morum licentiæ, aut sensi-  
bus magis reluctetur. Hæc verò quan-  
tum persuasere? ut sanguinem funde-  
re non dubitaverint etiam plures un-  
decim millionibus omnis conditionis,  
ætatis ac sexus martyres: quo porro  
exitu? ut eorum sanguis fuerit semen  
Christianorum, ut in gloriam triumphi  
cesserint illis etiam instrumenta sup-  
plicii, ut orbis caput Roma Imperii que  
sedes jam tota sit Petri piscatoris, ea-  
demque regnet latiùs Religione divi-  
nâ, quam olim dominatione terrenâ.

IX. Quid quòd illa Crucifixi fides  
non



non modò inter duodecim Romanorum Imperatorum ducentis amplius annis aliorumque tyrannorum atrocissimè sævientium gladios, sed etiam inter domesticos innumerabilium hæresum, schismatum, scandalorum turbines, etiam ab Imperatoribus Christianis Juliano, Constantio, Valente & aliis, etiam ab ipsis qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ Origine, Tertuliano, Hosio, &c. concitatos stetit, crevit, floruit? Illud autem quale est, agebat B. Antonius, quòd numquam infestatione regali concussa gentilitas, imò sæculo chara, & hominum præsidis fulta jam corruit, nos quò premimur magis, eò magis assurgimus?

X. Quid illa tot sanctissimorum hominum vita, miracula contestatissima, libri quos legimus ad cœlestem ingenii, ac spiritus vim admiratione defixi?

XI. Quid indefessus hominum Apostolicorum labor usque ad martyriū, qui zelo incredibili Crucifixum ad



extremos Indos, ad Antropophagos, Brasilos, Canadenses, & quod non hodieque deportant? an similem inter Turcas, Ethnicos, suæ superstitionis disseminandæ zelum reperiēs?

XII. Quid illa infinita tot Religiosorum ac Monialium examina, qui cum deliciis ac divitiis frui possint, eligunt vitæ genus durissimum, constanterque tenent incredibili cum gaudio, tantum ut Christum vocantem sequantur? Quales porro illi sint moribus, ingenio, sat vita etiam in sæculo acta (saltem ex quo vocantem sensere Deum,) sat libri, quos edunt, sat fructus in Ecclesia uberes loquuntur, ne plumbeos, ne Bellerephontæos ac Melancholicos, ne opinationis præstigiis delusos impii garriant. Digni scilicet ipsi homines corruptissimis plerique moribus, & voluptatibus corporeis immerfi, quibus potius appareat veritas quàm Religiosis illis integerrimæ vitæ hominibus, non excolendo ventri

tri



tri ut illi, sed menti, quæ pars hominis præcipua est, ac veri capax addictissimis: utris quæso prudentius de Christo creditur? An his Christum expertis? an illis expertibus Christi, qui non iudicio rationis ducuntur, sed violento præiudicio pravæ affectionis rapiuntur, nil non absurdi devorantes uti veritatis manifestæ vim eludant? ô peccata cæca!

XIII. Huc pertinet illa stupenda profusio charitatis Christianæ, quæ genus quoddam est martyrii, & sanguinis (sic enim etiam pecuniam vocant) profusio, unde adeo ditatam, dotatamque videmus Ecclesiam, ut eam plus reddituum quotannis colligere non dubitem, quàm exegerint Imperatores olim Romani vel hodierni plures reges potentissimi. Quid illa tot Monasteriorum nostro etiam sæculo fundatio? quot ordines novi, quot renovati, quot sanctimonialium examina? his charitas Christi domos extruxit, his



affatim ad vitam dedit fremente licet  
hæresi. Quid illa mendicantium Reli-  
gioforum maximè S. Francisci susten-  
tatio mirabilis? Quid pauperum? præ-  
ter Xenodochia olim hodieque fun-  
data? Ad hæc quis non miretur Plato-  
nem, qualem Deus immortalis virum!  
ne oppidulum quidem potuisse Reipu-  
blicæ suæ legibus componere, Chri-  
stum è contrà universum orbem cruce  
domuisse, & familias multitudine in-  
finitas arctissimis Evangelii legibus  
& consiliis devinxisse, easque identi-  
dem reparare labantes spiritu divino  
vigorem illum pristinum excitante,  
contra quàm extra Ecclesiam evenire  
sectariis videmus. Hæc nimirum est vi-  
ctoria quæ vincit mundum, fides no-  
stra Dei hominis!

XIV. Placet etiam ex ore mendacii  
veritatem, ut ex leonis faucibus favum  
mellis, ad Christi gloriam exprime-  
re. Ipse Mahometes Pseudopropheta  
(quem suorum sectariorum præstan-  
tissimi



tissimi philosophi Avicenna & Averrois fatentur errasse in fine ultimo hoc est funditus, eum in voluptatibus corporeis constituendo: Ipse inquam Mahometes Jesum, Spiritum, & Verbum Dei, positum in admirationem gentium, patratores miraculorum appellat in Alcorano Azoara 4. 11. 12. 13. 31. ejusque doctrinam sufficere asserit ad salutem. Credunt Turcæ natum ex Virgine, quam & colunt, in cœlum ascendisse, (etsi mortuum fatuè negent,) unde non sepulchrum quidem, sed cætera loca sacra usque ad stuporem Christianorum venerantur, quæ visere solent Mechâ reduces peregrini, ut narrat Baudier lib. 4. Relig. Turc. Quid quod ut refert idem 5. Rel. Tur. c. 12. transtulere in primarium Hierosolymitanum fanum ex Oliveto vestigia Christi ascendentis in cœlum, (de quibus SS. Severus & Paulinus authores gravissimi scribunt,) unde & pulverem quotannis collectum, & in vase perho-



norificè reconditum summus eorum  
Myſtes (Muphti vocant) Imperatori  
velut munus ſacroſanctum offert? Quid  
ad Chriſti Jeſu gloriam auguſtius,  
quàm pulveri veſtigiorum capita ini-  
micorum ſuorum inclinari, ac velut  
ſcabellum pedum ſubſidere? ut in his  
etiam quotidie impleri credas illud  
Iſaiæ cap. 60. *Venient ad te curvi filii eo-  
rum qui humiliaverunt te, & adorabunt  
veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahe-  
bant tibi.*

XV. Mahometis teſtimonio jungo  
Cacodæmonas, qui ex Energumeno-  
rum corporibus in nomine Jeſu eji-  
ciuntur, horrore, voce, fugâ filium Dei  
palam prædicantes.

Ad extremum, ut in ſummam omnia  
colligas, illud Pici Mirandulæ Comi-  
tis ex epiſt. ad Nepotem recale: Ma-  
gna profeſſò inſania eſt Evangelio non  
credere, cujus veritatem ſanguis Mar-  
tyrum clamat, Apoſtolica resonant  
voces, prodigia probant, ratio confir-  
mat,



mat, mundus testatur, elementa loquuntur, Dæmones confitentur.) Perge tu lector, & cum eodem ævi sui Augustino extasis teneat te studia, & meras insanias plurimorum Christianorum cogitantem ac lugentem; & subscribe ita scribenti, sed longè major insania si de Evangelii veritate non dubites, vivere tamen quasi de ejus falsitate non dubitares.

## CAPUT II.

*Multiplex convenientia Incarnationis.*

**I**Uverit plurimum ad illustrandam fidem Incarnationis multas gravesque illius causas expendere; quas chorus Angelicus (præcentore sine dubio Gabriele) complexus est paucis gloriam Deo, pacem hominibus concinens. Utramque tu seorsum vide.

## §. I.

**G**Loria Dei ac perfectiones ejus elucent maximè in hoc mysterio, adeo ut Christus magna sit illa gloria, de qua in Angelico hymno ab Ecclesia

A 7

cani-



canitur : Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Ea verò tanta est, ut Deum quodammodo altius se ipso extulerit.

I. Christus, (a) cùm per naturam divinitatis non haberet, quò cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori ne moreremur in æternum. Propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Vade, & tu fac similiter, neque enim ascendere potes nisi descenderis.

II. Verbum Dei ut ad nos descenderet, propria benignitas incitavit, misericordia traxit, veritas qua se promiserat venturum, compulit, puritas uteri virginalis suscepit, salva virginis integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, charitas verbis & miraculis manifestavit.)

III. Bo-

(a) Bern. serm. 2. de Asc.



III. *Bonitas* (b) emicuit communicatione sui, eâque intimâ & substantiali in unitatem personæ. Bona quæ contulit nobis ineffabilia sunt, quia ut brevi verbo multa concludam, nihil melius invenire potuit unde nos redimeret sapientia Dei in omni sapientiâ suâ.)

IV. *Charitas* uniendo sibi tam arctè naturam nostram cum inimici essemus.

V. *Misericordia* eripiendo nos è durissimæ servitutis iugo, & quid tanto opere declaret ejus misericordiam, quam quòd ipsam suscepit miseriam?

VI. *Sapientia* inveniendo difficillimæ pretii decentissimam solutionem. Jun- gendo supremum spiritum cum infimâ materia, principium Deum cum fine natura humana, quæ in operibus sex dierum fuit ultima omnium creatas; Item sic disponendo ut diabolus mortem Christi machinatus ipsâ morte victus sit, & homines tundens crebra tentatione malleator infœlix fabricetur

(b) Bern. Ser. 3. vigil. Pent.

illis



illis coronas, quibus numquam ipse tantum prodesse posset obsequio, quantum prodest odio.

VII. *Potentia* (c) in tanti mysterii, ac redemptionis per tot miracula & inaudita executione: In hoc enim mysterio agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana: ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens; videas si attendas patientiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari, Deum denique lactentem, sed Angelos reficientem, vagientem, sed miseros consolantem: videas si attendas tristari latitiam, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari, sed quod non minus mirum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans.)

VIII. *Iustitia* quod homine victo, non alio

(c) Bern. Hom. 2. super missus est.



alio quam homine fecit vinci tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem. Deinde in satisfactionis rigore, & solutione tanti pretii, si enim hæc in viridi ligno fiunt, in arido quid fiet? Sacras cruces in triviis spectet peccator ut appensam in propatulo virgam pueri solent.

IX. *Providentia* procurando tale remedium ne periret funditus genus humanum, alioqui perituum. Deinde decebat non deesse universo plures naturas in uno supposito, siquidem erant in Deo plura supposita in unicâ naturâ, & in creatis rebus plures naturæ in suppositis pluribus.

X. *Mysterium Trinitatis*, (d) sicut in singulari divinitate Trinitas est in personis, unitas in substantia: sic est in Incarnatione Trinitas in substantiis, in personâ unitas: & sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem: ita & hic persona non confundit substantias, nec substan-

(d) *Bern. Ser. 3. vigil. Nat.*

tia



tix ipsa personae dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit Trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, & super omnia opera sua. Verbum enim & anima, & caro in unam convenere personam.)

§. 2.

**P**Ax, hoc est utilitas hominum summa ex Incarnationis Mysterio.

I. (a) Ut homo fidentius ambularet ad veritatem mendacio diaboli deceptus, ipsa veritas Dei filius homine assumpto constituit atque fundavit fidē.)

II. (b) Non ignoramus jam oportere hominem nasci denuo; nam propter hoc secundo natus est Dei filius, in peccatis siquidem nascimur omnes & necesse habemus renasci in gratia.)

III. (c) Nihil tam necessarium fuit ad erigendam spem nostram, quam ut demonstraretur nobis quantum diligeret nos Deus.) Qui enim proprio filio

(a) Aug. lib. 11. de civ. Dei c. 2. (b) Bern. ser. 2. de Circums. (c) Aug. 3. de Trin. c. 10.



lio non pepercit, quomodo non omnia nobis donavit cum illo? & , qui dedit inimicis mortem suam , quid servat amicis nisi vitam suam ?

IV. (d) Quæ major est causa adventus Domini , nisi ut ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, ut si amare pigebat, saltem redamare non pigeat ! ) Amicus es hominis ob naturæ conformitatem quia homo est; ne in hoc præponderaret , & ideo præligeretur homo , Deus factus est homo. (e) Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri , & cum hominibus homo conversari , ut carnalium videlicet , qui nisi carnaliter amare non poterant, cunctas primò ad suæ carnis salutarem amorem affectiones traheret , atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem.)

V. (f) Homo sequendus non erat qui

(d) *Aug. lib. de Catec. rud. c. 4.* (e) *Bern. Ser. 20. Cant.* (f) *Aug. Ser. de Nat.*



qui videri poterit, Deus sequendus erat qui videri non poterat: ut ergo exhiberetur homo, & qui videretur ab homine, & quem homo sequeretur, Deus factus est homo.) (g) Talem se obtulit Apostolis Apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur, qui omnia fecit, & quia discipuli carnales erant, & Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui & carni, umbra corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna, (h) spiritus enim oris nostri Christus Dominus cui diximus in umbra tua vivimus inter gentes.)

VI. (i) Deus factus est hominis filius, ut homo fieret Deus.)

VII.

(g) Bern. Ser. 3. & 6. de Ascens. (h) Thr. 4. (i) Aug. Ser. de Nat.



VII. (k) Ne superbi spiritus studeant se amplius homini præponere, quia non habent carnem, nec homo tam excelso loco positus se amplius subjiciat illis. (Demonstravit nobis quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.) Agnosce ergo ô Christiane, inquit Leo Papa serm. de Nativ. dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire.

VIII. (l) Gratia Dei in nobis nullis meritis præcedentibus, in homine Christo omnino granditer & evidenter commendatur.) Audebit enim aliquis dicere quia natura nostra in illo mediatore promeruit Deum?)

IX. (m) Superbia hominis quæ maxime impedimento est ne hæreatur Deo,

(k) Aug. Ser. 13 de Trin. c. 7. & l. de vera Relig. (l) Aug. l. 15. de Trin. c. 17. Ench. & ser. 9. in Matth. (m) Aug. 3. de Trin. c. 17.



Deo, per tantam humilitatem redargui potest atque sanari.

X. (n) Suscipitur à virtute infirmitas, à maiestate humilitas, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem Dei & hominum mediator, & mori ex uno, & resurgere posset ex altero: nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium, nisi esset verus homo non afferret exemplum.

XI. Imago Dei erat reformanda in homine per peccatum deformata, venit imago Dei invisibilis Verbum, ut eam reformaret.

XII. (o) Verbum est similitudo Patris & scientia, illam affectarat Lucifer, hanc homo, & in utroque injuriam Filii vindicarat Pater. Ne igitur homines simul cum Angelis perirent Patri quos Angelus seduxerat, venit filius ad salvandos homines, quippe quos supplantarat aliena malitia, ideoque prodesse eis potuit charitas aliena.)

§. 3.

(n) Leo de Nav. (o) Bern. Ser. I. de Adv.



§. 3.

**Q**UOD si quæras (a) quâ ratione Filius magis incarnatus sit quàm Pater aut Spiritus sanctus, cum totius Trinitatis non modò æqualis sit gloria, sed una eademque substantia: Audies illud. Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Altissimum est mysterium, nec nos oportet temere super hujuscemodi præcipitare sententiam. Videretur tamen, nec Patris, nec Spiritus Incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur & illud maximè congruum ut is specialiter filius fieret qui filius erat, ne quid ambiguitatis esset in nomine. Denique ipsa est Virginis gloria singularis, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam sanè periisse constat si non filius incarnaretur: Sed nec alia nobis dari posset occasio similis sperandæ salutis & hæreditatis:

(a) Bern. Serm. 2. de Annunt.

Fa-



Factus quidem primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, adsciscet eos sine dubio in hæreditatem; quos vocavit in adoptionem: Si enim fratres & cohæredes.)

His aliisque sexcentis prælucentibus rationi quasi faculis assurgat humana mens sola jam Dei revelantis auctoritate nixa ad obscuræ, sed fundatissimæ fidei culmen, & imperterrita oculo irretorto Jesum suum intuens dicat, *Tu es Christus filius Dei vivi. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Hâc fide velut anchorâ tenaci ubi mens in Christo velut in portu defixa constiterit, ne exterreatur si tentationum fluctibus interdum jactetur: Et naves anchorâ fixæ agitantur, at rarò merguntur.

### C A P U T III.

*Necessaria ad Christiformitatem obumbratio Spiritus sancti Mystica.*

**P**Ulehre in hanc rem Fulgentius. (a)  
Ex eodem, inquit, Spiritu Christus  
(a) *De Incarn. & gr. c. 2.* for-



formatur secundum fidem in corde uniuscujusque credentis, quo spiritu secundum carnem formatus est in utero Virginis: ideo Propheta ex persona fidelium clamat ad Dominum. (b) Propter timorem tuum Domine in utero concepimus, & parturivimus, spiritum salutis tuæ fecimus super terram. Sicut autem non solum priusquam Virgo Maria se concepturam agnosceret, gratiâ plena Angeli voce nuncupata est, cum nullatenus præcederet filii Dei vel cognitio vel voluntas, ut agnosceretur ex gratia Dei esse tam ipsa obediens voluntas Virginis, quam conceptio Domini Salvatoris: sic homo priusquam credere velle incipiat, gratia donantis infunditur cordi, ut incipiat in homine per fidem Christus formari. Cum autem Christus in unoquoque formatur, ipse format, quia ipse fidem in corde uniuscujusque credentis initiat.) Nem-

B

pe

(b) *Isaia 26.*



pe sicut ipsemet Christus quā Verbum  
simul cum Patre & Spiritu sancto a-  
ctione indivisa se carnem fecit, atque  
formavit. Credas hæc legens Fulgen-  
tium inchoasse Christiformitatis o-  
pusculum, quod utinam absolvisset!  
Ergo fides initium quidem aliquod  
est novæ creaturæ sive Christiformi-  
tatis: at per dilectionem operetur o-  
portet ac obumbrante Spiritu sancto  
fœcundetur. Ille est substantialis A-  
mor, æternum Patris ac filii vincu-  
lum, & osculum, cujus cum ad intra  
fœcunditas non sit, nec enim divinam  
ullam personam producit, ea se to-  
tam prodit ad extra, & in utero Vir-  
ginis Deum-hominem format mira-  
bilis artifex. Nec semel formasse satis,  
pergit idem Amor quotidie filiolos  
parturire interpellans scilicet pro  
nobis, hoc est interpellare faciens,  
cum gemitibus inenarrabilibus: est  
enim columba illa fœcunda, germe-  
bundaque quam Joannes vidit Chri-  
sto



sto in Jordane, id est baptizatis incubantem, donec formetur Christus in illis: Ipsa dilectio specialis Christi JESU virtus est altissimi, quam supervenire Christiformandæ animæ oportet, est ipsa virtus Christiformatrix, ille ignis quo conflagrantur Christiformes. O ignis qui semper ardes & nunquam extingueris charitas deus meus accende me! O Columba cœlestis umbra cordibus nostris remigio alarum tuarum, ut sit spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, sicut ait Propheta (c) & in umbra ejus actua vivemus in gentibus. Amen.

(c) Thren. 4.

#### C A P U T IV.

*Quadruplex Dispositio proxima ad Christiformitatem: Præcursor Mysticus.*

##### §. I.

*Confessio suæ infirmitatis.*

**Q**ui suam, infirmitatem dicam an informitatem, an etiam deformitatem ac miseriam? non sentit, non

B 2

quæ-



quærit Christiformitatem, non currit ad medicum, non in clamat misericordiam. Qui veteris ac terreni Adæ morbum, ac serpentis morsum in se non agnoscit, quomodo novum ac cœlestem Adam invocabit? Nesciens homo dum descenderet in Jericho spoliatum se ab latronibus, & plagis acceptis semivivum relictum, Samaritani transeuntis misericordiam & opem negligit, Christum indui non curat. Plenus seipso, Christo vacuus pauper est, cœcus, & miser, & miserabilis, & dicit tamen quia dives sum, & nullius egeo. Atqui tum incipit anima præparari Christo cùm conscientiam propriæ infirmitatis, ac nihili gratiæ sibi coævi cognatique compungitur. Magno planè Dei consilio (ut notat S. Thomas 3. p. qu. 1. art. 5. ex glossa ord.) factum est, ut post hominis casum non illico Dei Filius mitteretur. Reliquit enim Deus prius hominem in libertate arbitrii in lege naturali,



turali, ut sic vires naturæ suæ cognosceret, ubi cum deficeret, legem accepit, qua data invaluit morbus, non legis sed naturæ vitio, ut ita cognita sua infirmitate, clamaret ad medicum, & gratiæ quæreretur auxilium.) Quanquam non usquequaque Deus dereliquit hominem. (a) Semper enim hoc humano restat arbitrio, non ut impleat homo iustitiam cum voluerit, sed ut se supplici pietate convertat ad Deum (nec sine gratia) cuius dono eam possit implere. Suppeditavit ergo per Christum gratiæ quantum saltem sufficeret ad impetrandum, unde pareret homo legi, tum naturæ, tum positivæ, at parcius id quidem venturi Salvatoris aut ignorantis aut negligentibus, unde creber in scelera lapsus luce gratiæ in tenebris peccatorum allucente confugiendum ad authorem gratiæ & consummatorem JESUM admonebat. Hanc

B 3

spon-

(a) August. l. 1. ad Simp. q. 1.



sponsi amicus ac præparator sponsæ  
Joannes præmonstravit in se infirmi-  
tatis ac indignitatis confessionē præ-  
viam Christiformitatis. Christum rati  
quidam in illo Evangelii crepusculo  
supremos ei honores destinabant, si  
annueret: Imò cum tantæ virtutis ef-  
fet, inquit S. Gregorius, (b) ut Christus  
credi potuisset, elegit solidè subsistere  
in se, ne humana opinione raperetur  
super se: Nam confessus est, & non ne-  
gavit, & confessus est, quia non sum e-  
go Christus. Cum ergo non vult ap-  
petere nomen Christi, factus est mem-  
brum Christi, quia dum infirmitatem  
suam studuit humiliter agnoscere, il-  
lius celsitudinem meruit veraciter  
obtinere.) Ac vide quantum obti-  
nuit; infra corrigiam calceamenti se  
deprimit, negans dignum se solvere  
corrigiam calceamenti ejus, & ecce  
supra caput baptizati baptizans eri-  
gitur. Agnosce ergo miseriam & de-  
for-

(b) Hom. 7. in Evang.



formitatem tuam, quamdiu Christus in pectore tuo formatus non est. Si agnoscis peccata tua, ipse ignoscit, si confiteris infirmitatem tuam, ipse sanat, ipsa confessio initium sanitatis est. (c) Omnis qui non vult videre peccata sua, post dorsum se ponit, (horret nimirum videre deformitatem suam) & quid dicit Deus? arguam te, & statuam te ante te, modò te non vides, facio ut videas te, quia si videres te, & displiceret tibi, placeres mihi; quia verò te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi, & tibi: mihi cum judicaberis, tibi cum ardebis. Quod post dorsum posuisti ante faciem ponam, videbis foeditatem tuam, non ut corrigas, sed ut erubescas. Modò ergo tu fac quisquis talis es, quod tibi minatur facere Deus: tolle te à tergo tuo, ubi te videre non vis, dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal men-

B 4

tis

(c) Aug. Psal. 49.



tis tuæ, esto tibi Judex, torqueat te timor, erumpat à te confessio, & dic Deo tuo: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper: quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse postea à Deo iudice fias ante te, & non sit quò fugias à te.)

## §. 2.

2. *Dispositio. Sublimis Æstimatio  
Christiformitatis.*

**M**agnifice prædicat sponsum amicus sponsi Joannes non sibi zelans, sed sponso. Ipse, (a) inquit prolixas laudes summam concludens, ipse super omnes est, & ad illum mittit clientes ac discipulos sibi addictos, quò totum ei amorem consecrent, pietatemque devoveant. Potuitne magis commendari in Christo Christiformitas nostra? ut ille super omnes est, ita super omnes devoti pectoris affectus ac exercitationes eminent Christiformitas

(a) Ioann. 3.



mitas sive dilectio Domini Jesu singularis. Hæc animam dilecto similem facit, ideoque certissimus est filiorum Dei sive prædestinatorum character, *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij ejus. b)* i. christiformes. Sanè si terram diligendo terra es, audeo dicere Christum diligendo Christus es, sive Christiformis. Quid enim talis dilectio, nisi fornax ardentissima quæ consumpta rubigine veteris hominis colliquefactam animam transfundit in Christi formam, ut meritò exclamet cum Apostolo: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus. (c)* Ille est ignis quem Dominus Jesus venit mittere in terram, & quid volo, inquit, nisi ut accendatur vehementer? Nempe usque ad consumptionem nostri, & consummationem Christi in nobis. Nulla expeditior purgandæ mentis ratio, quam in istam specialis dilectionis Christi flammam projectio sui.

B 5

Nul-

(b) Rom. 8. (c) Gal 2.



Nulla potentior vis ad abigendos  
 procul Cacodæmonas, aiebat B. An-  
 tonius. Et verò quid est sapientia  
 Christiani, inquit S. Salvianus, quid  
 nisi timor & amor Christi? Non glorie-  
 tur sapiens in sapientia sua, (d) dicit Do-  
 minus, & non gloriatur fortis in fortitu-  
 dine sua, & non gloriatur dives in divitiis  
 suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur scire  
 & nosse me, id est, Christum diligere.  
 Ecquid denique prodest nobis Chri-  
 stus nisi dilectus, & formatus in nobis?  
 (e) Ne materna quidem propinquitas  
 Dei Matri profuisset, nisi feliciter cor-  
 de quàm carne gestasset.) Quare etsi  
 dederit homo omnem substantiam  
 domus suæ pro tali dilectione, quasi  
 nihil despiciet eam: Veniunt enim in a-  
 nimam omnia bona pariter cum illa, & in-  
 numerabilis honestas per manus illius: (f)  
 plenitudo quippe legis est Christi di-  
 lectio, & Christiformitas consumma-  
 ta

(d) Ier. 9. (e) Aug. lib. de Virg. cap. 3.

(f) Sap. 7.



ta, Christiani perfectio. Quid igitur vagaris per multa ô novitia pietas? Sollicita es & turbaris erga plurimas exercitationes & praxes: Porro unum est necessarium, quidnam illud? Diligere JESUM, ipsaque dilectione Christi formari. Erras ut apiculæ solent, si nondum penitus agnovisti regem tuum; si autem agnovisti, protinus ad eum cogitationes, & affectus omnes tui convolabunt. Æquum est, ut primas apud nos curas quæ prima habentur obtineant, summasque sibi devotæ sollicitudinis partes Christus vendicat. Ipse quippe super omnes est. Habeat itaque medullam cordis nostri, reliquæ verò cogitationis diem festum agant sanctis ejus. Honor regis judicium diligit, nemo cogitetur frequentius, nemo diligatur ardentius, nemo colatur devotius; denique ut in Christi formitate summa salutis, ita sollicitudinis ac devotionis nostræ summa esto.



3. *Dispositio. Desiderium Christi-  
formitatis.*

**A**rdorem desiderii Patrum suspi-  
rantiū Christi in carne præsentia  
frequentissimè cogitans compungor,  
(a) & confundor in memetipso, &  
nunc vix contineo lacrymas: ita pu-  
det teporis, torporisque miserabi-  
lium temporum horum. Cui namque  
nostrum tantum ingerat gaudium  
gratiæ hujus exhibitio, quantum ve-  
teribus sanctis accenderat desiderium  
promissio?) Nimirum nondum multis  
exhibitus est intus per formationem  
spiritus sui, qui foris exhibitus est per  
præsentiam carnis suæ. Quare deside-  
randum spiritu Patrum, eorumque  
voce dicendum (b) *Osculetur me osculo  
oris sui.* Quanto putas præcurso-  
rem Christi flagrasse hujus osculi delide-  
rio, ex quo exultavit in gaudio in-  
fans? Ac mirare Dei exercentis con-  
filium,

(a) *Bern. Serm. 2, Cant.* (b) *Cant. 1.*



filium, & Joannis exerciti patientiam. Totis triginta annis desiderii vim velut animæ suspendium passus, vidit tandem sponsum amicus, & ad vocem ejus stetit, audiit: ac vel hoc uno gaudium suum impletum fuisse & sensit, & dixit. Cur tamdiu videri distulit desiderium illud collum æternorum, suspirium Prophetarum, desideratus cunctis gentibus, totus desiderabilis, totus desideria? Ut excitaret vehemens desiderium sui. (c) Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Oportet namque, ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus, & ad omnem animam, ad quem est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, & sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima, quoniam juxta est Dominus, cum se senserit illo igne succensam, Magnis illis spiritibus animæ suspirantis ac sine intermissione orantis, ac

B 7

præ

(c) Bern. serm. 2. Cant.





præ desiderio se affliantis desideratus ille magnus occurrit.) (d) Nam desiderium sinus est cordis, & desiderando capaces efficimur. Sicut si vis implere aliquem sinum vel sacci vel utris extendendo facis capaciores.) Quàm vastum esse oportet capacem Christi in se formati sinum! Differendo extendit Deus ac dilatavit Patrum ac Joannis cor Messiam expectantium. Danieli exuli revelatus est dies adventus, quia vir fuit desideriorum, Simone & Annæ viduæ expectantibus apparuit, quærenti Andræ ac scire aventi ubi habitet, ait: Veni & vide, apud Zachæum manet, quia desiderio videndi suspensum è sycomoro conspexerat. Denique gentilibus quibusdam spectandum se præbet, quia per Philippum & Andream id expectaverant. Age igitur Christum in te formari si cupis, extende sinum cordis, omnia suspiria tua Christo anhelent, dic illud: *Emitte Domine agnum*  
(d) *Aug. tr. 4. ep. Ioan.* *domi-*



dominatorem terra, (e) animæ meæ. Rorate cæli de super, & nubes pluant justum. (f) in cormeum, aperiatur terra pectoris mei, & germinet salvatorem. Dic cum Davide (g) Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, tibi ô anima animæ meæ, ô caro mea & os de offibus meis Verbum caro : Dic cum Discipulo quem diligebat Jesus, Veni Domine IESU. (h)

(e) Isa. 16. (f) Isa. 45. (g) Ps. 62. (g) Apoc. 22.

§. 4.

4. Dispositio. Petitio, & Intercessio Deiparæ.

QUàm fuit ardens Patrum ac Joannis inprimis desiderium præsentia Christi, tam incensa fuit petitio illius doni, cujus tanto decet esse flagrantius votum, quanto majus est donum. Perfecit opus Incarnationis vox illa Deiparæ omnipotens, Fiat mihi secundum verbum tuum (a) Est & hoc

(a) Bern. Hom. 4. de Virg.



hoc verbum orantis. Vult autem à se  
requiri Deus, quod pollicetur, ut ex  
promissione devotio exciteretur: sicq;  
quod gratis daturus erat, devota ora-  
tio promereatur. Sic pius Dominus,  
qui omnes homines vult salvos fieri,  
merita nobis extorquet à nobis, &  
dum nos prævenit tribuendo, quod  
retribuatur gratis, agit ne gratis tribuat.  
Hoc utique prudens Virgo intellexit,  
quando prævenienti se muneri gra-  
tuitæ promissionis junxit meritum  
sux orationis, *fiat*, inquit, *mibi secun-*  
*dum verbum tuum*. Fiat mihi de Verbo  
secundum verbum tuum ) Tu itaque  
ora similiter, ut fiat in te Verbum Dei  
mysticè Incarnatum. Christusq; spe-  
ciali dilectione formetur. Atque ut  
certius & facilius impetres, adhibe  
mediatricem, in qua sola factum est  
Verbum personaliter incarnatum,  
corporaliter invisceratum. (b) Est sa-  
gitta electa amor Christi, quæ Mariæ  
ani-

(b) Bern *serm.* 20. *Cant.*



animam non modò confixit, sed etiam pertransiuit, ut nullam in Virginali pectore particulam vacuam amore relinqueret: aut certè pertransiuit eam, ut veniret usque ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus, & fieret mater Charitatis, cuius Pater est charitas Deus. Et illa quidem in tota se grande & suave amoris vulnus accepit. Ego verò me felicem putaverim, si summa saltem quasi cuspi- de huius gladii pungi interdum me sensero, ut vel modico accepto amoris vulnere, dicat etiam anima mea, vulnerata charitate ego sum. quis mihi tribuat in hunc modum non modò vulnerari, sed & expugnari omnino usque ad exterminationem coloris & caloris illius qui militat aduersus animam?) Tribuet Maria crebrò ac enixè rogata, & quos gladio doloris transverberata in Joanne Discipulo filios juxta crucem concepit, cum audiit: *Mulier, ecce filius tuus*, eos obstetrican-



cantibus gaudiis, pariet dilectione  
Christiformes; Sanè illius consensui,  
concurfuique materno, ac follicitudi-  
ni JESUM à nobis deberi voluit Deus.  
Illi *magna fecit qui potens est*, ut magni-  
tudinis factæ mensuram intelligas  
fuisse potentiam facientis: Peream, &  
ad ejus vocem gratia sanctificans col-  
lata primùm à Christo est, nempe Jo-  
anni in utero exultanti: quin etiam o-  
ratu ejusdem primum gratiæ gratis  
datæ ut vocant, ab eo editum signum  
est, conversio scilicet aquæ in vinum.  
(c) Adeo nihil nos Deus habere vo-  
luit, quod per Mariæ manus non tran-  
siret: Et Christum, nisi per illam for-  
mari in nobis speramus? Virgo est re-  
gia ipsa via, per quam Salvator adve-  
nit. (d) Tenentes ergò viam studea-  
mus ad ipsum per eam ascendere, qui  
per ipsam ad nos descendit, per eam  
venire in gratiam ipsius, qui per eam  
in

(c) Bern. *serm.* 3. *vigil.* Nat. (d) Bern.  
*serm.* 2. *de Adv.*



in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, ô benedicta, inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis, & fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis tribuat meritorum : fac ô benedicta per misericordiam quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ suæ, & Christi-  
formes Jesus Christus filius  
tuus Dominus  
noster.)



INCAR-







riam Domini (hoc est Christum ipsum)  
speculantes,) quasi speculum intuen-  
tes) in eandem imaginem transforma-  
mur, per reflexionem scilicet radio-  
rum lucis Christiformamur, à clarita-  
te in claritatem tanquam à Domini spiri-  
tu, & non amplius à nostro animati.  
(d) Non opprimit nos gloria ista totis  
licet viribus intendentes in se, nos  
potius imprimemur illi. Sed placeat  
necesse est facies, quæ in Dei clarita-  
tem intendere potest. Neque enim id  
posset, nisi clara quoque ipsa esset &  
pura utique transformata in eandem  
quam conspicit claritatis imaginem.  
Alioquin ipsa dissimilitudine resiliret  
insolito reverberata fulgore.) Ergo  
cum pura puram intueri potuerit ve-  
ritatem, tunc Ideam Jesu perfectam  
exprimet. Talem diligenter effor-  
mant, qui assidue contemplantur  
Christum, juxta monitum Abbatis  
Moylis apud Cassianum, (e) fornica-  
tio-

(d) Ber. ser. 62. Cant. (e) Coll. I. c. 13.



tionem, inquit ille, mens judicet vel momentaneum à Christi contemplatione discessum, à quo cùm deviaverit paululùm noster obtutus, rursus ad eum cordis oculos retorquentes velut rectissimâ lineâ mentis aciem revocemus.) Sanè imaginem Christi, & ideam molimur, quæ velut accensa lucerna non modò luceat omnibus animæ domesticis facultatibus, sed & ardeat, quæ sit verbum cordis, ut vocant, proinde non excors, sed Verbo æterno similis amorem spiret. Amatoria ergo sit idea Jesu, & quot ejus characteres, tot advocamenta sint cordis ad Jesum. Sugeret ad ideam ejusmodi efformandam colores & lumina magna Christo graphorum vis; at nemo in tanto molimine feliciùs laborat, quàm ipsemet Domini Jesu specialistior: hic nescio, quo miraculo proles simul & genitor sui, eam unde concipitur ideam perficit, atque



que consummat: & verò si rana amor,  
ut vulgo ajunt, pingit hanc ut Dia-  
nam, qualem depinget amor sanctissi-  
mus Christum suum? Subjicio tota  
hac parte opusculi quasi colorum con-  
geriem, ac materiam informem,  
quam lector pius meditatione potius  
quàm lectione digerat, & concipien-  
do per Christiformem ideam Domi-  
no Jesu applicet. Verùm timeo cum  
Anselmo, (e) ne quemadmodum so-  
leo indignari pravis pictoribus, cum  
ipsum Dominum nostrum informi fi-  
gura pingi video, ita mihi contingat,  
si tam decoram materiam incompto,  
& contemptibili calamo exarare  
præsumo.) Tu lector carbone depi-  
ctum solem puta, & meliori medita-  
tionis penicillo aggredere om-  
ni ex parte Christi-  
formem.

(e) *Lib. 1. cur Deus homo, cap. 2.*



## CAPUT II.

*IESVS amabilis ob gratiam  
unionis.*

CUM gratia unionis non aliud sit, quàm ipsum esse personale Verbi collatum gratis humanitati, profectò quanta est amabilitas, sive bonitas Dei ac Verbi, tãta est Dei-hominis, cui nil amabilitatis per hoc decedit quod humanitas ad eam nostra velut punctus ad lineam, ut loquitur B. Thomas (a) accedit: Imò vel hinc nonnulla totius amabilitatis creatæ, quàm homo compendio continet, ad totam increatam fit accessio: actantò nobis charior Deo Deus-homo, quanto pro nobis vilior, nobisq; similior. (b) Osculum est nobis datum Christus Jesus: os osculans verbum assumens, osculatum caro quæ assumitur, osculum verò quod pariter ab oscu-

(a) *Opusc. 2.* (b) *Bern. serm. 2. Cant.*



osculante, & osculato conficitur, Persona ipsa ex utroque compacta mediator Dei & hominum homo Christus JESUS. Cui singulariter semel os Verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo Divinitatis infudit. Felix osculum, ac stupendâ dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur.) (c) Agnosce vel hinc mediatorem Dei & hominum, & hominem Deum, quod ab ipso natiuitatis suæ exordio divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur, absconditur in præsepio, sed proditur stellâ, radiante de cœlo. Circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis, at nomen JESU, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis: Cir-

C

cum-

(c) Bern. serm. de Circumcis.



50 CHRISTIFORMITAS,  
cumciditur tanquam verus Abrahæ  
filius, JESUS vocatur tanquam filius  
Dei.) Denique omnia Christi ferè di-  
cta, factaque Deum hominem admi-  
rabilis mixturæ quasi caractere si-  
gnata demonstrant, ut infra observa-  
bitur. Ergo Christus est verbum illud,  
per quod omnia facta sunt, nec alia  
est persona hominis, alia verbi. Ipse  
est omniscientia, ipse omnipotentia,  
ipse omnis bonitas, & hoc totum ho-  
mo est, quod Deus Verbum est. (d)  
Et quid dicimus, quando dicimus  
Deum & Verbum? omne bonum, &  
quidem Christus sic omne bonum est,  
ut præter omne bonum, quod Deus  
est, includat omnis creaturæ bonum,  
quod homo est. Ergo quale bonum est  
Christus? Omnis boni bonum, undè  
omne bonum: bonum, cui non adda-  
tur quod sit nisi ipsum bonum. Ipse  
Dominus JESUS cum dixit (e): *Nemo  
bonus, nisi solus Deus*, nonne extimulavit

nos

(d) Aug. Ps. 26. (e) Luc. 18.



nos ad inquirendum , & ad distinguendum quid sit bonum alio bono bonum, & bonum seipso bonum? ) O quantum bonum , à quo sunt omnia bona , Verbum caro ! bonum tuum quare ô anima. (f) Est enim bonum aliud alteri , & omnes creaturæ habent quoddam bonum suum , bonum integritatis suæ , & perfectionis naturæ suæ , interest quid cuique rei imperfectæ sit necessarium , ut perficiatur. Quare tuum bonum , summum bonum , quale est per unionis hypostaticæ gratiam Verbum caro. Pecori quid bonum est , nisi implere ventrem , carere indigentia , dormire , gestire , vivere , sanum esse , generare ? Tale tu bonum quæris ? Cohæres Christi quid gaudes , quia socius es pecorum ? Erige spem tuam ad summum amabile , summum bonum JESUM tuum. )

(f) Aug. Ps. 102.



**E**Cce ipse Christus (a) tibi proponat: pete à me quod vis: sit tibi Imperator diceret, pete quod vis, quot tribunatus, quot comitatus ructares? Quanta tibi proponeres & accipienda, & alijs largienda? Deo tibi dicente, pete quod vis, quid petiturus es? Excute mentem tuam, exere avaritiam tuam, proinde quantum potes, & dilata cupiditatem tuam: non quicumque, sed JESUS omnipotens tibi dixit, pete quod vis. Si possessionum es amator, desideraturus es totam terram, ut omnes, qui nascuntur, coloni tui, aut servi tui sint. Et quid cum totam terram possederis? mare petiturus es, in quo vivere tamen non poteris. In hac avaritia te pisces superabunt. Sed fortè insulas possidebis; transcede & hæc: pete & aërem, quamvis volare non possis, porrige cupiditatem tuam usque ad cœlum,

(a) Aug. Ps. 34.



Ium, dic tuum esse solem, lunam, stellas, quia ille, qui fecit omnia, dixit: pete quod vis.) Scientiam mavis? pete quantum habent ipsi Angeli. O quanto sapientius Christologus Angelus Thomas dicenti Domino JESU: *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies? Pete quod vis.* Non aliud, ait, peto, nisi te Dñe: nihil invenit melius, nihil charius, quàm ipsum qui fecit omnia. (b) Tu quoque ipsum pete qui fecit omnia, & in illo, & ab illo habebis omnia quæ fecit: omnia chara sunt, quia omnia pulchra sunt, quid illo pulchrius? fortia sunt, sed quid illo fortius? Et nihil magis vult dare, quàm se. Si aliquid inveneris melius, pete: si alia petieris, injuriam facies illi, & damnum tibi, præponendo illi creaturam qui Creatorem continet & creaturam. In hoc amore dixit ille (c): *Dominus pars hereditatis meæ.*) In hoc amore Apostolus Tho-

C 3

mas

(b) Aug. *ibid.* (c) Ps. 15.



mas palpans tenensque JESUM exclamavit (d): *Dominus meus, & Deus meus!* Hoc uno scilicet summo contentus bono. Tu (e) si amator JESU esse vis, suavissimis medullis, castisque sapspirijs ipsum dilige, ipsum ama, illi flagra, illi inhia, utpote omni bono, quo jucundius nihil invenis, quo latius, quo diuturnius nihil. Quid enim melius, quàm ipsum bonum?

(d) *Ioan. 20.* (e) *Aug. Ps. 85*

§. 3.

**M**ihi verò Domine JESU Deus-homo (a) tibi adhærere bonum est, ponere in te spem meam. Da mihi Deus cordis mei, ne amplius in me subsistam, sed in te, sine quo nil possum facere, ex quo mea tota sufficientia, etiam ad cogitandum benè bonum, ac subsistentia mea tota est: *Mea enim substantia tanquam nihilum ante te* (b); ex te omnis operum nostrorum bonitas, & Deificatio; gratia enim  
tua

(a) *Aug. ps. 83.* (b) *Ps. 38.*



tua ipsa unio nostra tecum est , ipsa  
Christiformitas. Omnino unio gratiæ  
Christi , quæ diffusa est in cordibus  
nostris per Spiritum Sanctum , est  
ipsa quasi gratia unionis hypostaticæ,  
quæ nos divinæ facit consortes natu-  
ræ , & filios Dei. Sicut enim illa  
non effectus , sed principium tum  
ipsius esse , tum meritorum Christi  
fuit : Sic nostri esse Christiani ac me-  
ritorum origo est gratia, non fructus,  
aut merces. Cùm enim gratia sit jam  
non ex meritis. Illa propriam hypo-  
stasim coëxistere secum non patitur :  
hæc amorem proprium & peccatum  
excludit , quod unicum nostrum est.  
Illa quod semel assumpsit , nunquam  
dimisit, ne in morte quidem : hæc ni-  
si dimissa non dimittit , nec mortuis  
quidem excidit. Illa cum Verbo fuit :  
ista , quia Christi sanguine sata, ejus-  
que soboles , ad eum inclinatione  
speciali motuque innato fertur , &  
illi animam agglutinat. Illa velut



unguentum in capite, quod descendit  
in barbam Aaron, & in oram vesti-  
menti ejus, manavit in omnes animæ  
& corporis facultates, in dicta, facta,  
cogitatusque Christi, ita ut nusquam  
non emineat character quidam The-  
andricus, & singularitatis Christi no-  
ta, sicut ferè vox nostra, scriptura, in-  
cessus, & quicquid nostrum est, singu-  
laritatis nostræ velut sigilli impres-  
sionem quandam habent: hinc doctri-  
næ suæ summam JESUS humilitate  
conclusit & charitate, istâ humanita-  
tem, hac significante Deum, qui cha-  
ritas est: hinc sine parabolis non lo-  
quebatur, quæ humile quiddam in  
fronte habent, at divinos sensus con-  
tinent in recessu: hinc in ejus miracu-  
lis emicat divinitas, at cum assumpto  
humili semper instrumento, ut puta  
voce, digito, salivâ, luto, fimbriâ ve-  
stimenti, aut quo alio simili carnis in-  
firmitatem præferente: hinc Sacra-  
menta sic instituit, ut accedente ver-  
bo



bo ad elementum , quasi Verbo ad carnem perficiantur ; hinc liberi arbitrij nostri, & gratiæ suæ confœderatione velut carnis Deique conjunctione salutis nostræ opus voluit inchoari & consummari. Sic igitur omnia nostra in charitate fiant , sive comedimus, sive bibimus, sive quid aliud facimus, omnia in nomine Domini, ut humanis divina jungamus, ima summis, atque ut ferè Christiformes decet, ac filios Dei, Verbum incarnatum istis incarnationis simulachris referamus. Item sicut monet Apostolus: (c) Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam ; ut seductores & veraces , sicut qui ignoti & cogniti, quasi morientes, & ecce vivimus, ut castigari & non mortificari , quasi tristes, semper autem gaudentes ; sicut egentes, multos autem locupletantes : tanquam nihil habentes, & omnia possidentes. Deni-

C s

que

(c) 2. Cor. 6.



que (d) qui habent uxores tanquam non habentes sint : & qui flent, tanquam non flentes : & qui gaudent, tanquam non gaudentes : & qui emunt, tanquam non possidentes : & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur ; præterit enim figura hujus mundi. At non præterit forma Christi. Atque ita demum admirabili tam dissimilium unione assimilabimur Homini-Deo.

(d) 1. Cor. 7.

### C A P U T I I I.

IESVS amabilis ob intellectus doctores.

§. I.

**S**I ad quorundam ingeniorum eminentissimam celsitudinem obstupefcimus, oculos in profundissimum stoliditatis præ illis nostræ barathrum depressi : Si Tullij Romano Imperio par ingenium, Augustini Christiano, ut ita dicam, orbi non impar suspicimus, si Tostatus, vel alius quis canitur Ille stupor mundi, qui scibile  
discu-



*discutit omne*, quantam ingenij vim & amplitudinem Dei hominis animæ concessam putamus? In eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei erant absconditi. Nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit revelare, scrutatur hominum renes & corda, etiam profunda Dei. Ipse unigenitus, qui est in sinu Patris, venit, ut enarraret nobis, & eructaret abscondita à constitutione mundi, ideoque plenus debuit esse ut gratiæ sic & veritatis, per quem gratia & veritas facta est, ut nos de utraque plenitudine ejus omnes acciperemus. Præter beatam, qua Deum semper vidit, scientiam comparavit quotidiano rerum usu experimentalem, qua didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, & compati infirmitatibus nostris; hausit verò anima sanctissima velut ex ipso Sole Deo, cui cohærebat quamproximè & intimè, radios scientiarum acquisitæ, ut



vocamus , rerum naturalium , tum  
infusæ etiam supernaturalium quanta  
hauriri à Deo potest maxima. (a) Nec  
fuit hora in quacunq; ætate sua, qua de  
plenitudine illa sapientiæ, quam in sui  
conceptione accepit in utero, vel ali-  
quid minueretur , vel aliquid eidem  
adjiceretur: sed à principio perfectus,  
à principio, inquam, plenus fuit spiri-  
tu sapientiæ. Nec te moveat quod de  
illo legis : *IESVS autem proficiebat sa-  
pientiâ*. Dictum enim est secundum  
quod apparebat , non quia videlicet  
aliquid ei novum accideret, quod an-  
te non haberet : sed quod accidere  
videretur , quando volebat ipse ut vi-  
deretur. Tu homo cum proficis, non  
quando, nec quantum vis, proficis: sed  
te nesciente tuus moderatur profe-  
ctus, tua vita disponitur. At verò puer  
JESUS, qui disponit tuam , ipse dispo-  
nebat & suam : & quando volebat, &  
quibus volebat , sapiens apparebat :  
quan-

(a) *Bern. hom. 2. de B. Virg.*



quando, & quibus volebat, sapientissimus : quanquam in se nunquam esset, nisi sapientissimus.) Disce vel ex linea Apellem. Herodiani capere volunt eum in sermone : rogant, an liceat dare censum Cæsari, an non ? si ait, Judaicæ immunitatis hostis audiet, ac traducetur apud populum. Si negat, Cæsaris dicetur hostis : quid faciat Sapiencia ? Respondet, quod nec populum offendat, nec Cæsarem : & Herodianos instruat : (b) *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Rursus Pharisei offerunt in adulterio deprehensam, (c) rogantes, an eam lapidandam judicet sicut præcepit Moyse; si diceret, non lapidetur adultera, injustus convinceretur : Si diceret, lapidetur, mansuetus non videretur, ac mansuetudine jam erat populo amabilis. Quid ad hoc Christus ? quod dicere de-

C 7

bet

(b) *Matth. 22* (c) *August. tract. 33.**Ioan.*



bet mansuetus, & justus: (d) *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat. O responso Sapiëntiæ!*) Quid simile Salomon? ad tantam sapiëntiam, ut olim ad suam Regina Saba, maneat sine spiritu; imò erubescat justius, quàm olim spirans in marmore in Justinianæo sanctæ Sophia, hoc est, ipsius Christi sapiëntiæ, templo, ubi velut pudore suffusus videbatur fateri victum se ab Justiniano ac pronuntiare illud (e): *Ecce plus quàm Salomon hic.*

(d) Ioan. 8. (e) Matth. 12.

§. 2.

**E**Cquid verò latere potest Judicem præteritorum, præsentium ac futurorum? Quid nesciret futurum æternitate totâ æternæ fœlicitatis ac supplicij diribitor? quid fugeret moderatorem animorum, dispensatoremque gratiarum? Quid præteriret

ca-



captantem sapientissimè molles aditus in animas rebelles ex infinitarum circumstantiarum varietate ad injiciendam gratiam congruam? quid ignoraret ille, sine quo liberè, adeoque scienter faciente nil facimus ipsi, nil possumus? (a) Domine probasti me & cognovisti me, intellexisti cogitationes meas de longè, mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam. Adeste huc docti indoctiq; ad JESUM scientiarum universitatem concurrite, haurite de fontibus Salvatoris scientiam Sanctorum. Ipse veritas, ipse Dominus scientiarum. Hinc hausit Bernardus, hinc Bonaventura, hinc Christodidacti innumerabiles. O qualem librum Jesum! (b) librum scriptum intus & foris, librum in humeris portandum, capiti imponendum, & quasi coronam circumdandum nobis, librum in singulis gradibus nostris pronuntiandum! (c) Qui hunc novit, nihil ultra

(a) Ps. 138. (b) Eja. 8. (c) Iob.



ultra quærat, quia hic perfecta virtus  
& sapientia est, inquit Ambrosius: no-  
stra Christus scientia, sapientia quo-  
que nostra idem Christus est, inquit  
beatus Augustinus. Accipe librum,  
& devora illum, & erit in ore tuo  
dulcis tanquam mel, bonitatem, &  
disciplinam, & scientiam docebit te.  
Si Augustinum nemo non diligit am-  
bitiosius ob singularem ingenij sacræ-  
que doctrinæ laudem, quasi eò pro-  
pioris illi sint & aspersi eadem luce  
laudis, quò chariorem sibi profitentur:  
quis divinum Christi ingenium non  
amet, non adoret? vel inde ei se cha-  
riorem ac similiorem esse non dubi-  
tet, quò se senserit amantiorem, pla-  
ces Christo, si placet tibi Christus.  
Christiformitatis studiosus studeat et-  
iam scientiâ esse Christo similis quo-  
ad valet. Ratione Dei, sui que noti-  
tiam ex naturalibus rebus comparet,  
fidem supernaturalium excolat, &  
scientiam rerum divinarum non tam  
spe-



speculativam, quàm experimentalem  
& sapidam acquirat: beatæ supparem  
visioni contemplationem JESU affi-  
duam avidè sectetur, & petat, donec  
fornicationem judicet vel momenta-  
neum à Christi contemplatione dis-  
cessum. Denique (d) instructus in cha-  
ritate, & in omnes divitias plenitudinis in-  
tellectus in agnitionem mysterij Dei Patris,  
& Christi JESU, discat nihil scire nisi  
JESUM, & hunc Crucifixum.

(d) Col. 2.

#### CAPUT IV.

*JESVS amabilis ob dotes volun-  
tatis.*

§. I.

**Q**UANTUM amabilitatis ha-  
beat sanctitas vera, nec occultâ  
cogitatione comprehendi potest. Vi-  
de si qua uspiam apparuit etiam in vi-  
vente, ideoque exitus incerti, puta  
in Simeone Stilite, in Bernardo,  
quàm ea rapax animorum fuerit. Si  
virtus in hominum oculos incurre-  
ret,



ret, raperet omnium animos, ajebat quidam nescius veræ sanctitatis. Quid si Joannes Baptista, Paulus, Augustinus, aut similis quispiam supernè ad nos descenderet conspicuus, quantâ eum veneratione, quo amore prosequeremur! habes anima mea in Christo JESU genitum in splendoribus sanctorum (a), *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas & magnificentia in sanctificatione ejus.* Ingredere templum humanitatis, vide cum Isaia (b) Dominum sedentem super solium voluntatis excelsum & elevatum. Vide super illud stantes duos Seraphim, amorem Dei scilicet & amorem proximi, quo unico geminoque tota sanctitas continetur, audi clamantes alterum ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus JESUS. Verè Sanctus Sanctorum, imò sanctitas sanctitatum, ut Danielis 9. vocatur. Non enim ad  
men-

(a) Ps. 95. (b) Isa. 6.



mensuram Deus dat ei spiritum. Et gratiam quidem ipse, per quem gratia facta est, ex ipso fonte Deo sibi conjunctissimo tantam hausit, quantum humanæ voluntatis sinus capere voluit, & valuit, nec finitam illam si qua posset existere infinita. Inde virtutum omnium comitatum, septem-  
plicis spiritûs chorum, ac beatitudinum recepit eâ plenitudine, ut nulla unquam ad immensum tantæ sanctitatis oceanum, unde nostra tota profluit, ex perenni Theandricorum operum concursu facta sit accessio. Nec enim aliter profecit gratiâ, quàm demonstratione illius majoris in dies, non amplificatione. Quid quod ipsa, nec increata sanctitas nō adoptionis, ut nostra, sed nativa & essentialis velut oleum exultationis unxit, perfudit, penetravitq; totum, unde in thorum gratiæ, ad quē accedamus, erectus est? Benè ideoq; nemo melius hîc Origene: Anima illa, inquit, quasi  
fer-



ferrum in igne, semper in Verbo, semper in sapientia, semper in Deo inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indefinenter ignita possidebat.) Nimirum Christi cor erat altare æterno igne ardens, ubi jure sacrificium sui Amor sacerdos immolabat: Idem victima Christus, idem altare, idem Pontifex. Talis enim decebat Deum victima sola dignè adorando, sola condignè placando sufficiens, infinita infinito; (c) Talis decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impolutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.

## §. 2.

**P**Lus est quòd peccare nullatenus potuit, quia inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate possidebat. An fortè etiam quòd, ut multi graves Theo-

(c) Heb. 7.



Theologi ratiocinantur , voluntas humana Christi , si à recto deficeret, non tam ipsius , quàm Verbi foret vitium , & opprobrium , penes quod erat summa Imperij domestici in Christi humanitatem , hoc est , suam , sicut est penes artificem instrumenti conjuncti ductus , penes superiorem animæ partem inferioris moderatio? Sanè anima beata omne bonum con- tuens oculo irretorto ab eo abduci nequit ad creatum bonum , cujus il- lecebras eminentissimè contentas in bono summo intuetur ? parum est , nec peccâsse , nec peccare potuisse JESUM , etiam sanctissimè , nullo non momento vitæ egit , dixit , cogitavitque. Quæ placita erant Patri , faciebat semper , hic cibus ejus , ac delicia. Mirare non crebrius in Evangelio , quàm semel ac iterum voluntatem propriam ab eo exprimi : semel quidem dixit (a) ad le-

(a) Matth. 8.



leprosum etiam acquiescens ejus voluntati: *Volo, mundare*; iterum verò (b) ad Patrem: *Volo Pater, ut ubi sum ego, illic sit & minister meus*: at ubi sua res agitur, *Non quod ego volo, sed quod tu*. Usque adeò peccatoribus curandis studuit, & amicorum commodis, usque adeò sibi non placuit! Denique nil prodijt ex sacrosancto voluntatis Christi sacrario seu elicito, seu imperatum usque ad levissimos corporis animique motus, etiam in dormiente, cujus cor semper vigilabat, quod à dignitate ac reverentia infinita tantæ personæ non traheret similiter infinitam ad quodcunque præmium excogitabile dignitatem; alioqui quænam finiti præmij ad infinitam promerentis dignitatem proportio? O quale nobis patrimonium comparasti tot meritis tantisque bone JESU! ô inevitabiles amoris tui illecebras! ô investigabiles divitias sanctita-

(b) *Ioan. 17.*



citatis tuæ negotiantis in nobis! Omnia enim tua mea sunt, & vox illa tua dulcis: (c) *Ego pro eis sanctifico meipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* O verba solatij plenissima! Pater sancte exaudi filium tuum pro reverentia sic orantem pro nobis: (d) *Pater sanctifica eos in veritate.* In veritate, inquit, non in vanitate Væ sanctis in vanitate phantasmatis sui fallentibus semetipsos! (e) *Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam requireret Dominus veritatem sanctitatis vestræ, & retribuet abundanter facientibus superbiam.* Da Pater impeccabilitatem hanc, ut mori malimus, quam fœdari deliberatè, ne levissimâ quidem labe: nullum inter peccata discrimen practicè statuamus, omnia adæq; ut mortalia fugientes. Heu miseram leviter peccandi necessitatem, quam exules patimur! Erue me Dñe de necessitatibus meis; nam perfectè tibi non placebo, nisi in regione vivorum.

Vlti-

(c) *Ioan. 17.* (d) *ibid* (e) *Psal. 30.*



*Ultima quando mei veniet certaminis  
hora, (mus ultra?*

*Ultima quando dies, quâ non peccabi-*

Da etiam Pater, peccata mundi  
tollere salutis proximorum incum-  
bendo; sin aliter nequeo, certè prece  
& exemplo. Da denique, ut sancti  
per gratiam & charitatem nîl cogi-  
temus, dicamus, agamusve, etsi per se  
levissimum, quod animante spiritu, ac  
honestate charitatis Christiformis,  
non evehatur ad sublimem æterni  
meriti dignitatem, nullam benè de  
te, de proximis merendi opportuni-  
tatem corrumpi sinamus. Sed probe-  
mus semper quæ sit voluntas Dei bo-  
na, beneplacens, & perfecta, ut quod  
perfectissimum est, exemplo Filij tui  
semper amplectamur.

#### C A P U T V.

*IESVS amabilis ob pulchritudinem.*

§. 1.

**S**USPICE sponsa sponsum tuum,  
non carne tenus, aut verbo, seor-  
sum



sum (quanquam utrovis modo pulchrum) sed verbum-carnem, utroque simul longè pulcherrimum (a) Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, sicut ait Propheta, & sub umbra, id est carne, ejus vivimus inter gentes. Utramque ergo tum carnis, tum verbi, sed hujus maximè formam suscipe. Ipsa pulchritudo & facies Patris Verbum, ipsa sanctitas & gratiæ plenitudo animæ pulchritudo, quanta inde efflorescit in carne forma? non illa quidem foemineam ad mollitiem fracta, sed augustæ plena majestatis, digna hospite Verbo, digna artifice Spiritu sancto, digna matre Virgine formosissima, digna officio conciliatricis animorum. In sermone inerat mira suavitatis & gratia: numquam, aiebant ejus auditores, sic locutus est homo sicut hic homo; in agendo summa decori observatio, & omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo: Denique totus in ore,

(a) Thr. 4.

D

totus



totus in conversatione spirabat Deus. O quanto nunc pulchrior in cœlo quam olim in Thabor ille rex gloriæ? Quicumque Jesum quæritis oculos in altum tollite, illic licebit visere Regem perennis gloriæ. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus: Ecce tu speciosus forma præ filiis hominum, & præ choris Angelorum. Tu ille es agnus lucerna cœlestis Jerusalem, cujus radiis beantur animæ ac fulgent. Accingere gladio tuo super femur humanitatis tuæ potentissime cordium dominator, specie carnis tuæ; & pulchritudine divinitatis tuæ intende prosperè procede & regna, quia etiam species tua digna imperio animorum. (b) Quam pulcher es Angelis tuis Domine Jesu in forma Dei in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ patris, & quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ

(b) Bern. Ser. 45. Cant.



vita æternæ! Quàm mihi decorus es  
Domine mi in ipsa tui hujus positione  
decoris! Etenim ubi te exinanivisti,  
ubi naturalibus radiis lumen indefi-  
ciens exuisti ibi pietas magis emicuit,  
ibi charitas plus effulsit, ibi amplius  
gratia radiavit. Quàm clara mihi ori-  
ris stella ex Jacob, quàm lucidus flos  
de radice Jesse, quàm jucundum lu-  
men in tenebris visitasti me oriens ex  
alto! Quam spectabilis & stupendus  
etiam virtutibus supernis in conceptu  
de Spiritu, in ortu de virgine, in vitæ  
innocentia, in doctrinæ fluentis, in  
coruscationibus miraculorum, in re-  
velationibus sacramentorum! Quam  
denique rutilans post occasum sol ju-  
stitiæ de corde terræ resurgis, quam  
formosus in stola tua demum rex glo-  
riæ in alta cœlorum te recipis! Quo-  
modo non pro his omnibus omnia of-  
fesa mea dicent: Domine quis similis  
tibi?) Filii hominum usquequò gravi  
corde terrena sapitis ut quid diligitis



vanitatem & quæritis mendacium? quod in summa cuticula vultus lenocinantis insidiatur oculis vestris ut animam deprædetur? Fallax gratia & vana est pulchritudo. Et scitote quia Dominus mirificavit in forma Dei, in forma servi in omni pulchritudinis genere Sanctū suū Christum Jesum.

§. 2.

**E** Ja anima mea sponsus procedat nobis, amemus illum, aut si invenerimus in eo aliquid fœdi non amemus. (a) Ecce ipse invenit in nobis multa fœda & amavit nos, si aliquid invenerimus in eo fœdi non amemus. Quia & hoc ipsum quod carnem induit ut de illo etiam diceretur: Viderimus eum & non habebat speciem neque decorem; si consideres misericordiam qua talis factus est, & ibi pulcher est. Nobis ergo jam credentibus ubique sponsus pulcher occurrat. Pulcher Deus Verbum apud Deum, pulcher in utero virginis ubi non amisit

(a) *Aug. ps. 44.*

divi-



divinitatem & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum quia & cum esset infans, cum surgeret, cum manibus portaretur Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit adoratus est in præsepi cibaria animalium manfuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.) Et hunc tam pulchrum promissit Deus ostendere nobis. (b) *Et ostendam inquit, salutare meum, Christum meum. O sponsa qualis est pulchritudo dilecti tui, si promissit ostendere se tibi? Cogita omnia ista quæ vides pulchra, quæ amas ipse fecit. Si hæc pulchra sunt quid est ipse?*) Ergo ex istis quæ hic amas illum magis desidera, & contemnens ista illum dilige ut ipsa dilectione per fidem cor mun-

(b) Ps. 90.

D 3

deg



des & mundatum cor tuum inveniat  
aspectus illius. (c) O Domine ostende  
nobis misericordiam istam tuam, &  
salutare tuū da nobis, da nobis Chri-  
stum tuum, noverimus Christum  
tuum, videamus Christum tuum, non  
quomodo illum viderunt Judæi &  
crucifixerunt, sed quomodo illum vi-  
dent Angeli & gaudent) (d) Magnum  
est quod visuri sumus quando tota  
merces nostra visio est, & ipsum hoc  
magnum visum est Dominus noster  
Jesus Christus, ipse qui humilis visus  
& tanquam leprosus, ipse videbitur  
non per fidem sed per speciem. Atten-  
dite ipsum Dominum, ô Christophili  
qui hoc promisit in Evangelio dicens:  
Qui diligit me diligetur à Patre meo,  
& ego diligam eum: & quasi dicere-  
tur ei, & quid ei dabis qui diligit te?  
Ostendam, inquit, illi me ipsum. Desi-  
deremus & amemus, flagremus si  
sponsa sumus. Sponsus absens est, susti-  
nea-

(c) Aug. Ps. 84. (d) Aug. Ps. 90.



neamus, veniet quem desideramus. Tantum pignus dedit, non timeat sponsa ne deferatur à sponso, non dimittet pignus suum. Quod pignus dedit? Spiritum sanctum: misit talia pignora dimittet ille sponsus? si non amaret talia pignora non daret. Jam amat. O si sic amaremus! Majorem dilectionem nemo habet quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis: amemus & imitemur, curramus post unguenta ejus, venit enim & olevit, & odor ipsius implevit totum mundum. Unde odor? de cœlo. Sequere ergo ad cœlum ô sponsa, si non falsum respondes cum dicitur sursum cor, sursum cogitationem, sursum amorem, sursum spem.) O pulcher & decore nimis aspectu, quando veniam & apparebo ante faciem tuam! (d)

*Me trahit ille ferax sanctorum vultus  
amorum*

*Ille verecundo vivus in ore pudor*

D 4

*Cum*

(d) Sarbevius epig. 104.



*Cum mea mens sacra satiatur imagine  
forme*

*In desideriis pascitur ipsa suis.*

*O Iesu mea sola fames, mea sola voluptas  
Quam sapit ipse, tui cui sapit ipsa fames!*

S. 3.

**V**Erùm ô sponsa hæc vox quidem  
vox sponsæ est, sed veni ut pro-  
bem te an cor habeas castum sponsæ  
an non. (a) Si Iesus sponsus tuus dice-  
ret tibi, peccare vis pecca, fac quic-  
quid te delectat, quicquid amaveris in  
terra tuum fiat, cui fueris iratus, in-  
tereat, quem rapere volueris rapia-  
tur, quem cadere cadatur, quem da-  
mnare damnetur, quem possidere pos-  
sideas, nemo tibi resistat, nemo tibi di-  
cat quid facis, nemo noli facere quod  
velis, nemo quare fecisti? abundant  
tibi omnia ista terrena quæ concupisti,  
& vive in illis non usque ad tempus  
sed semper, faciem autem meam num-  
quam videbis. O sponsa quid respon-  
deres? Audio ingemiscientem audio

(a) Aug Ps. 27.

re-



respondentem: Imò tollantur omnia  
& faciem tuam videam. Ergo amor  
tuus castus est, amor verus, amor sin-  
cerus ) (b) Si gratiam ideo tibi dedit  
Deus quia gratis dedit, gratis ama ut  
facis. Noli ad præmium diligere  
Deum, ipse sit præmium tuum.) (c)  
Perge ô dilecta & quæ placita sunt  
sponso tuo fac semper, nec enim mi-  
nus ejus gratia præstare debes, quàm  
inhonesti amatores in amatæ gratiam  
præstare solent. Si quis amore fœmi-  
næ lasciviens vestit se aliter quàm  
amatæ placet, & illi dixerit nolo te  
habere tale byrrhum, non habebit: si  
per hyemem illi dicat in lacerna te  
amo, eliget tremere potius quàm di-  
splicere, numquid illa damnatura est?  
numquid adhibitura tortores? num-  
quid in carcerem missura? hoc solum  
ibi timetur, non te videbo, faciem  
meam non videbis.) Si tanti emitur

D. 5 mere-

(b) *Aug. Tr. 3. Ioan.* (c) *Aug. de verb.*  
*Apost. 12.*



meretricii oris , vel potius sterquilini conspectus , eritne Domine Jesu quo non emptam velimus pulchritudinis tuæ beatam visionem ? Interim formabimus simulacrum pulchritudinis tuæ, in anima quidem , te diligendo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.) (d) In corpore verò modestiam nostram quæ juxta Nazarenum typus Christi est , notam omnibus hominibus faciendo , ut qui timent te cum videbunt nos laudent te Domine Jesu. Amen.

## CAPUT VI.

*Iesus amabilis ob amorem nostri.*

**V**etus est, si vis amari ama, nec amor nisi amore emitur justè aut solvitur. Deus suis ipse amoribus æternum quam sufficientissimus, ineffabilis extasis impetu quasi raptus extra se amavit nos; & quidem prior, & ab æterno, & liberè; nec modo nil pro-

(d) *Aug. Tr. 9. ep. Ioan.*



promeritos, sed etiā nīl nō demeritos,  
nec aliquid sperans, nec aliud spirans  
nisi amorem nostrum, nec sibi sed no-  
bis studens, & odium tamen sui prae-  
sciens vel inde futurum auctius in plu-  
rimis exaggerante eorum crimen &  
ingratitude immerita mole &  
immensa beneficiorum. Sed age quo-  
modo dilexit nos? quasi creatura fo-  
ret ipsius creatoris summum bonum,  
ac Dei Deus, quæ tamen ad creato-  
rem quantum bonum est! Ho-  
minem creando, magni orbis, quem  
ei quasi Imperatori subiecit, summam  
ac velut minorem confecerat nullo  
non congesto in eum rerum gradu,  
unde tot nominibus ad authoris sui  
dilectionem obstrictus esset, quot in  
universo conditæ res. Accessit illa Dei  
imago singularis & similitudo, quam  
altissimè eidem impressit, ut homo  
imitator sui esset autoris, ac naturalis  
hæc esset nostri generis dignitas, ut in  
nobis quasi in quodam speculo divinæ

D 6

beni.



benignitatis forma resplenderet. Porro ad amorem similitudo, quantum valeat nemo nescit. Sanè imago regis & quidem ab ipso picta, si diligere posset, omnia regi suo, pictori authorique & archetypo posthaberet, & homo nauseabundus despexit Deum. Quid? an siliceum illi aut ferreum pectus? an amandi impos? atqui amandi tam compos & avidum quàm vivendi: Cereus in amores flecti cæterorum nihil non efflictim deperit præter Deum: ô furor? Adjecit Deus præceptum diligendi sui minis atrocissimos Tartari cruciatus intentantibus armatum, præmio felicitatis sempiternæ laureatum. Et quotusquisque non neglexit? Tandem ab laceffito Deo tot injuriis, quid expectet corruptissimum genus hominum, nisi fulmina & sempiternum exitium? Atqui sic dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: & quidem dedit factum hominem, per omnia nobis



nobis similem absque peccato, & ad crucem dedit, & tortoribus dedit totum, gratisque dedit, & ingratitude nostræ certus pro ingratis dedit. Nempe quo carnem saltem nostram Verbum factam carnales, & carnaliter amare docti redamemus, ut gradatim ad amorem spirituales eruditi cor nostrum tandem pro filio corde suo, Patri refundamus. Ita carne ineffatos Verbo suo velut hamo piscatur nos Pater. Ita venit Filius exinanitus, usque ad formam servi mendicus amoris nostri. Venit ipse amor inops factus ut inopia ejus ditaremur: venit cordi nostro personans illud *fili præbe mihi cor tuum*, & illud *Diligis me plus his*, creatis omnibus? hoc tot linguis clamat quot vivens moriensque mira fecit, quot dira pertulit, quot verba protulit.

## §. 2.

Quam dulciter Domine Jesu (a)  
cum hominibus es conversatus,  
(a) Bern. ser. 2. de Pent. quam



quàm abundanter multa & magna  
bona hominibus largitus es , quam  
fortiter , quàm indigna , quàm aspera  
pro hominibus passus es , ita ut liceat  
fugere mel de petra , oleumque de sa-  
xo durissimo , duro ad verba , duriore  
ad verbera , durissimo ad crucis hor-  
renda , quia in omnibus his sicut agnus  
coram tondente se obmutuit , & non  
aperuit os suum . Vides igitur quàm  
verum dixerit ille , qui dixit : Dominus  
sollicitus est mei . Pater ut servum re-  
dimat filio non parcat , filius seipsum  
libentissime tradit , Spiritum sanctum  
uterque mittit , & ipse spiritus postu-  
lat pro nobis gemitibus inenarrabili-  
bus . O duri & indurati , & obdurati fi-  
lii Adam , quos non emollit tanta be-  
nignitas , tanta flamma , tam ingens  
ardor amoris , tam vehemens amator ,  
qui pro vilibus sarcinulis , tam pretio-  
sas merces expendit ! Non enim cor-  
ruptibilibus auro vel argento rede-  
mit nos , sed pretioso sanguine suo  
quem



quem effudit abunde , quia largiter  
undæ sanguinis de corpore Jesu , per  
quinque partes emanaverunt. Quid  
ultra debuit facere & non fecit ? illu-  
minavit cæcos, reduxit erroneos, re-  
conciliavit reos, justificavit impios,  
triginta & tribus annis super terram  
visus cum hominibus conversatus pro  
hominibus mortuus, &c.) O duri ite-  
rum & insensati, qui hæc credunt &  
non disrumpuntur, aut vinculis tantæ  
charitatis non trahuntur. An non di-  
gnissimi æternis ignibus , qui ad tot  
amoris faces non ardent, sed algent ?  
Hæc omnia attentè tecum recogita  
Christiformitatis appetitor , & sine  
dubio senties vel è filice pectoris scin-  
tillam amoris extundi. Memineris ad  
hæc Pastoris boni quærentis ovem  
centesimam, reputa accensam lucer-  
nam à vidua quærente drachmam  
hoc est humanitatem Christi quæ-  
rentis nobis consumptam , & ad  
nostros usus expensam , recalefati-  
gatum



gatum JESUM, dum Samaritanæ meretricis animam quæreret, Gallinæ Evangelicæ recordare volentis congregare filios Jerusalem, contemplare amorem erga tenellos fœtus suos inditum animantibus eorum amantissimis, & hunc rude imitamentum infiniti amoris Christi erga nos esse intellige. Revoca in memoriam illud Carpo apud B. Dionysium in Epistola ad Demophilum, indignanti ex zelo non secundum scientiam contra scelestos duos, dictum à Christo: Ego iterum paratus sum pro illismori, si Pater sinat; lege historiam de Valgio sentinatore ab S. Paulino viro consulari descriptam (b) (cui spectatori fidē abrogare quis auit?) colliquesce cor lapideum ad tantam Christi, vel Angeli personam Christi affectumque demonstrantis. *Philanthropiam*, ac senties verè has esse delicias Jesu, esse cum filiis hominum. Postremò audi invitante promissis ad

(b) Ep. 36.

amo-



amorem sui: Qui diligit me, inquit, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Audi rursus, si quis diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: Audi etiam sic enixè precantem, ut dilectio tua Pater, qua me dilexisti, in eis sit, & ego in iplis. (c) O Domine Jesu, quid mihi es, quid tibi sum ipse, ut sic ames me, & sic amari te jubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes misérias? Parvane est ipsa si non amem te? & si faciam, promittis ingentem mercedem, & felicitatem, parvane est merces & felicitas, si diligam te? En amo te Jesu amantissime, & si parum est amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum desit mihi amoris ad id quod iatis est, currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur donec abscondar in abscondito vultus tui. Hoc tantum scio, quia  
ma-

(c) *Aug. Conf. 13. cap. 8.*



malè mihi est præter te, non solum extra me, sed & in meipso, & omnis mihi copia, quæ Jesus meus non est egestas est.

## C A P U T VII.

*IESVS amabilis ob Beneficia: & divitias salutis nobis partas.*

§. I.

**M**AGNA profectò sunt à Deo collata mortalibus beneficia, sed nihil ad Incarnationem cætera universa: hæc summa omnium, hoc summum beneficiorum. Seu naturæ mundum, seu gratiæ, seu denique gloriæ spectes, totum condidit Jesus. Ac naturæ quidem, qua Verbum factorem nemo nescit, quæ verò Deus-homo est, ejusdem conservatorem non temerè dixeris. Quo enim Atlante, nisi Christo stare orbis machinam credas post infinita hominum flagitia, quorum levissimum promeretur mundi velut arcis rebellium excidium? Aude etiam orbis conditorem dicere, saltem hoc  
fen-



sensu, quia eum Deus providens tot  
scelerum si ea permitteret, numquam  
condidisset, nisi una fuisset præsci-  
us remedii, & gloriæ cumulatissimæ per  
JESUM redemptorem percipiendæ, si  
labi hominem contingeret. Verum  
utcumque se id habeat, certè melio-  
ris utriusque mundi tum gratiæ, tum  
gloriæ author est. In omnibus divites  
facti sumus in illo, qui inops factus est,  
ut inopia ejus ditaremur, ita ut nil  
desit nobis in ulla gratia. Quis investi-  
gare valeat abundantes illas & inve-  
stigabiles divitias, ut eas vocat Apo-  
stolus? (a) Quantæ nobis reconditæ in  
verbo Christi, in utroque testamento?  
quot chirographis obligavit nobis  
Deus fidem suam, & promissa firma-  
vit! quantæ in fide? cujus tenuissima  
notitia totam Philosophorum sapien-  
tiam dignitate supra modum superat  
& utilitate: *Et erit fides*, inquit Isaias,  
(b) *in temporibus tuis divitiæ salutis, sa-*  
*pient-*

(a) Eph. 3. (b) cap. 33.



*pietia & scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus. Si timor est thesaurus, quid erit amor Evangelicus? quid spes æternæ hæreditatis, quâ sunt Christiani tanquam nihil habentes, & omnia possidentes? Quid fiducia in Christo quâ promptuarium providentiæ habemus in promptu, & omnia possumus in eo, qui nos confortat? quantus in tot Sacramentis Ecclesiæ thesauris maximè in Pœnitentia & Eucharistia? Domine, duo hæc quæstuosissima talenta tradidisti mihi, sed miserum me! qualem rationem de illis exiges, qui ne verbum quidem tuum ad te vacuum redire vis! quantus in doctrina ad illustrationem, quantus in exemplis vitæ Jesu sanctissimæ ad imitationem? quantus ad meritum & sanctificationis nostræ subsidium in omnibus & singulis ejusdem dictis, factis, cogitatisque meritorum cumulus? quantus in fuso pro nobis sanguine? nihil non ad meritum sufficit infinitum, ut*  
cap.



cap. 4. meditati sumus; & hæc si volumus, tota nostra est tam copiosa redemptio, dicit enim nobis Jesus, tolle me, & redime te; hinc illa nobis tam dives auxiliorum gratiæ ad sanctitatem vena, unde saltem ad sufficientiam perenniter scaturiunt, ut non tentemur supra, quam possumus ferre, præsto semper astante gratiâ saltem ad orandum, (c) & tanquam in manu nostra vitam corporis, sic habeamus in voluntate sanitatem animæ nostræ, alimentis scilicet sufficientibus, si tamen uti velimus, sanat enim omnino Deus quemlibet languidum, sed non sanat invitum.) *Benedictus ergo Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in ipso, in omni benedictione spirituali in cælestibus.* (d) Et benedictus Dominus Jesus, qui tantum patrimonium nobis reliquit, ipse patrimonium nostrum amplissimum & certissimum. Nam verissimè dixit:

Ego

(c) Aug. Ps. 102. (d) Eph. 10.



(e) *Ega veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*: si tantâ largitate provisum voluit nobis ad vitam momentaneam carnis, quantam in orbis tam vasti, tam varii sinum congestam cernimus, quàm effusè prodigum fuisse ad divinam & æternam vitam spiritus oportet? verè copiosa apud eum redemptio.

(e) *Ioan. 10.*

§. 2.

**Q**Uocumque me verto, beneficiis tuis ac divitiis, bone Jesu, circumseptum plenumque me sentio; gratiæ enim tuæ deputo, quòd me diligunt Pater tuus, & Spiritus sanctus; quòd Angelum habeo custodem: (a) *Ipsi enim sunt administratorii spiritus, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Ideoque in gratiam salvatoris Tibi vitam & immunitatem à pœnis omnibus peccato debitis, toties debeo, quoties seu graviter, seu leviter pecco nec pereo: & quoties pecco! Et

(a) *Heb. 1.*

quid



quid peccando non demereor! tu vindictam prohibes. Tibi etiam deputo & quaecumque feci bona, & quaecumque non feci mala, imò & quaecumque non patior mala: sicut enim nullum malum facit unus homo, quod non posset facere alter homo, si gratia tua non praestes ne faciat: ita nullum malum patitur unus homo, quod non possit pati alter homo, nisi praestes providentia & protectione tua, ne patiatur. Quot ergo mala non facio, quot mala non patior, tot numero beneficia tua. Denique quaecumque ordinata sunt ad salutem, & cooperantur in bonum, ea tuo beneficio habent hunc ordinem, & quid non habet illum; siquidem etiam peccata electis cooperantur in bonum? etiam reproborum damnatio tuum est erga electos beneficium, unde hi gratias tibi debeant. (b) Valdè ergo mihi amandus es per quem sum, vivo & sapio,

(b) *Bern. serm. 2, Cant.*



pio, & dignus planè est morte, qui tibi Jesu beneficentissimè recusat vivere, & mortuus est, & qui tibi non sapit, desipit, & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est. Væ vobis divitibus, qui thesaurizatos vobis à Christo Thesauros contemnitis, dormietis somnium vestrum, & nihil invenietis in manibus vestris, divitiæ terrenæ si affluunt, nolite cor apponere, fluentia sunt, spinæ sunt, laquei sunt, & pretiosa pericula, veras divitias amate, patrimonio vestro utimini. Quid miseri Tantalii in mediis Ecclesiæ thesauris dicitis: (c) quia divites estis, & pauperes estis, & nudi, & miseri, & miserabiles. Avare quid inhias auro & argento? nimis multum est à te habere aurum, quod quæris; aurum etsi volueris, fortè non habebis Christum cùm volueris, quia & antequam velis, venit ad te auxilio gratiæ prævenientis; ingerit tibi divitias amoris sui, & respuis, arripe illas

(c) Aug. Ps. 32.

ma-



manu orationis , promeretur oratio de  
thesauris meritorum Christi, & in no-  
mine ejus, quicquid voluerit. Illa est  
aurea thesaurorum Dei clavis; ô quàm  
facile est opibus cœlestibus per Chri-  
stum ditari, quàm difficile terrenis! &  
hæc tamen à multis quærentur auidita-  
te magna, & istæ negliguntur adhuc  
majori cum nausea, ita multis benefi-  
cia Christi fiunt maleficia? beatus Do-  
mine Jesu, qui non fuerit scandaliza-  
tus in te, nec in egestatem suam divi-  
tias amoris tui perverterit ! Utinam  
semper amem te benefactorem meum,  
& sicut nullum est temporis punctum  
quo tuo beneficio non utar , sic nul-  
lum sit momentum , quo te non ha-  
beam ante oculos meos , & gratias  
non referam ipso saltem debito be-  
neficiorum tuorum usu! Hoc exigunt  
infinita beneficiorum multitudo, ma-  
gnitudo, & necessitas. Hoc dantis ma-  
jestas, & amor. Hoc accipientis indig-  
nitias, & ingratitude. Quid retribuam

E

tibi



tibi Domine pro tantis, quæ tantus retribuisti tantulo mihi? Rependam dilectioni beneficæ erga nos tuæ, hoc est, fraternæ fraternam erga proximum dilectionem, eamque beneficam; inopia mea ditabo eos non querendo quæ mea sunt, iudicium voluntatemque, & commoda mea illis substernendo: non ero parcus operum bonorum, declinans in obligationes, sed in omni gratia per te dives operabor instanter quicquid poterit manus mea; non fodiam in terram, nec in sudario relinquam sterile talentum pretiosi Sanguinis tui, sed avidus spiritualis lucri in omnem occasionem, imminens velut sedulus mercator negotiabor dum venias. Denique quoniam ut fundus noster es, sic fundus tuus nos sumus, fac ne maledicto proximo tibi tribulos & spinas proferā, (d) tam sæpè venientem super me bibens imbrem Sanguinis tui, sed fructus

(d) *Hebr. 6.*



Etus quos expectas, suaves & uberes  
tibi refundam. Amen.

## CAPUT VIII.

*IESVS amabilis ob Passionem.*

**E**ST quod me plus cæteris incita-  
mentis ad amorem Christi mo-  
vet, (a) plus urget, plus accendit, su-  
per omnia, inquam, reddit amabilem  
te mihi Jesu bone, calix quem bibisti,  
opus nostræ redemptionis, hoc omni-  
no amorem nostrum facile vendicat  
totum sibi, hoc inquam est, quod no-  
stram devotionem blandius allicit, &  
justius exigit, & arctius stringit & af-  
ficit vehementius: multum quippe la-  
boravit in eo Salvator, (b) ô quan-  
tum laboravit sustinens! Exinanivit  
semetipsum usque ad carnem, ad  
mortem, ad crucem. Ecquis digne  
penset quantæ fuerit humilitatis,  
mansuetudinis, dignationis Domi-  
num majestatis carne indui, multari

E 2

mor-

(a) Bern. serm. 20. Cant. (b) ser. 11,  
Cant, & serm. 20.



morte, turpari cruce? sed dicit aliquis non valuit opus suum reparare creator absque ista difficultate? valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitude occasionem ultra reperiret in homine. Multum igitur fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoveretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse devotum fecerat conditionis facilitas. Dixit, & facta sunt, mandavit & creata sunt, sex denique diebus condidit omnia denihilo, & hominem inter omnia. At verò in reparationis nostræ opere laboravit annos triginta, eoq; amplius, in dictis sustinuit contradictores, & in factis observatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit: Adde quòd hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit: nam quis prior dedit & retribuetur ei? sed ut

S. Jo-



S. Joannes Evangelista ait: (c) *non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos.* Denique dilexit etiam non existentes, sed adjecit resistentes diligere, juxta Pauli testimonium dicentis, (d) *quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus,* alioquin si non dilexisset inimicos, nondum possideret amicos, sicut necdum quos sic diligeret essent, si non dilexisset qui nondum essent. Quod si dilexit faciendo non existentes, quanto magis patiando adjecit diligere etiam resistentes?) Omira pater tuæ circa nos pietatis dignatio! ô inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres filium tradidisti, & quidem voluntati crucifigentium tradidisti. Verè magno pretio emisisti me servum tibi patientissime Jesu! nam vel unica tua levissimaque cogitatio utpote valoris infiniti ex dignitate & reverentiâ personæ tuæ, sufficientissi-

E 3

ma

(c) 1. Ioan. 4. (d) Rom. 5.



ma erat ad redimendos è durissimâ  
servitute homines etiam infinites in-  
finitos: & vitam tamen illam Dei ho-  
minis, & totam, & tot annis consum-  
psisti, & sanguinem fudisti : ut quid  
profusio hæc? nimirum ut servus tuus  
tot essem nominibus, quot gradibus  
empta merx vilissima superatur à  
pretio tanto. O verè nimiam charita-  
tem, quia & mensuram excedit, mo-  
dum superat, plane supereminens u-  
niversis. *Majorem, inquis, dilectionem  
nemo habet, quàm ut animam ponat suam  
quis pro amicis suis.* Tu majorem ha-  
buisti Domine, ponens eam etiam  
pro inimicis; cùm enim adhuc inimi-  
ci essemus, per mortem tuam & tibi  
reconciliati sumus, & Patri. Quanam  
alia videbitur esse vel fuisse, vel fore  
huic similis charitati? vix pro justo  
quis moritur, tu pro impiis passus es,  
moriens propter delicta nostra, qui  
venisti gratis justificare peccatores,  
servos facere fratres, captivos cohæ-  
re-



redes, exules reges.) Quid ergo tibi non debeo propter nimiam charitatem istam, amantissime Jesu? & si totum debeo pro me facto, quid addam pro me refeito, & refeito hoc modo? in primo opere me mihi dedisti, in secundo te; & ubi te dedisti, me mihi reddidisti: datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo, quid tibi tribuam pro te? nam etiam si me millies rependere possem, quid sum ego ad Deum? Ergo anima Christiformanda ut ardeas vehementius, expende accuratè quis, pro quibus, & à quibus, & qua non in corporis, animique parte, quàm dira, quamdiu patiatur, quanta denique cum siti nostræ salutis; ad hæc nisi disrumperis, nescio an credas. Qui te sic amantem non amat, O amor crucifixe, hic est barbarior feris, pardis asperior, tigride sævior, impacatior ursis, iracundior anguib, marmore durior, saxis horridior, surdior æquore, inconstan-



tior auris, immanis, et ignibus; denique, qui te non amat, sit anathema. Amemus ergo, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, aut si non amare volumus, repente possimus mori.

§. 2.

**S**peremus certè ac supersperemus in pretio tanto redemptionis nostræ, pro quibus patiens, misericors & miserator Dominus mori non dubitavit. Dicamus illi cum latrone: Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Dicamus cum S. Bernardo ægrotante, (a) fateor, non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cælorum. Cæterum illud duplici jure obtinens Dominus meus hæreditate scilicet Patris, & merito passionis, altero ipse contentus alterum mihi donat, ex cuius dono jure illud mihi vendicans non confundor.) Quid dubitat modicæ fidei peccator? quid

(a) lib. i. vita, c. 13.



quid in sanguineo illo mari naufragium timet? An verò pro minimo Deus habet hominem propter quem mori voluit unicum suum? (b) attende ad indicium dilectionis, & promissionis Dei. Tales arrhas accepimus, tenemus mortem Christi, quis mortuus est? Unicus. Pro quibus mortuus est? utinam pro bonis, utinam pro justis. Sed quid est? etenim Christus, ait Apostolus, pro impiis mortuus est, qui donavit impiis mortem suam, quid servat justis nisi vitam suam? Eri-gat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se avertat, non dicat, non admitte me in regnum suum, qui promisit Deus est, & venit ut promitteret, apparuit hominibus venit suscipere mortem nostram, promittere vitam suam, venit ad regionem peregrinationis nostræ accipere quod hic abundat, opprobria, flagella, colaphos, sputa in faciem

E s

ciem

(b) Aug. Psal. 148.



ciem crucem, mortem, hæc abundant  
in regione nostra, ad talia commercia  
venit. Quid hic dedit? quid hic acce-  
pit? dedit exhortationem, dedit re-  
missionem peccatorum, accepit con-  
tumelias, crucem, mortem. De illa re-  
gione attulit ad nos bona, & in regio-  
ne nostra ipse pertulit mala, promisit  
tamen nobis quod ibi futuri sumus,  
unde venit, & ait, pater, volo, ut ubi  
ego sum, & ipsi sint. Tanta præcessit  
dilectio, quia ubi nos eramus fuit no-  
biscum, ubi ipse est, erimus cum illo.  
Quid tibi promisit Deus o homo mor-  
talis? quia victurus es in æternum:  
Non credis? Crede, crede plus est jam  
quod fecit, quam quod promisit. Quid  
fecit? mortuus est pro te. Quid promi-  
sit? ut vivas cum illo. Incredibilius est  
quod mortuus est æternus, quàm ut in  
æternum vivat mortalis, jam quod in-  
credibilius est tenemus. Si propter  
hominem mortuus est Deus, non est  
victurus homo cum Deo? non est vi-  
cturus



cturus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui vivit in æternum? Sed quomodo mortuus est Deus? & unde mortuus est Deus? & potest mori Deus? accepit ex te, unde moreretur pro te. Non posset mori nisi caro, non posset mori nisi mortale corpus, induit se ubi moreretur pro te, induet te ubi cum illo vivas. Ubi se induit morte? in virginitate matris. Ubi te induet vita? in æqualitate Patris.) Hanc spem habeto repositam in sinu tuo, in cruce ubi promeruit sufficienter sanguine suo Jesus moriens, quantum à Deo sperare vales aut petere. Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? (c) Ibi securior habito, quanto ille potentior ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado; fundatus enim sum supra firmam petram. Peccavi peccatum grande, turbatur

E 6

batur

(c) Bern, serm. 61. Cant.



batur conscientia , sed non perturbatur , quoniam vulnerum Domini recordabor , securus , ut columba in foraminibus Petre. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras , quid tam ad mortem quod non Christi morte salvetur ? Si ergo in mentem venerit tam potens , tamque efficax medicamentum , nulla jam possum morbi malignitate terreri. Et ideo liquet errasse illum qui ait : Major est iniquitas mea quam ut veniam merear , nisi quod non erat de membris Christi , nec pertinebat ad eum de Christi merito ut suum præsumeret , suum diceret quod illius esset , tanquam rem capitis membrum. Ego vero fidenter quod ex me mihi deest , usurpo mihi ex visceribus Domini , quoniam misericordia affluunt , nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus ejus , & pedes , latusque lancea foraverunt , & per has rimas licet mihi sugere mel de petra ,  
oleum-



oleumque de saxo durissimo, id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis referans clavus penetrans factus est mihi ut videam voluntatem Domini. Quid ni videam per foramen? clamat clavus, clamat vulnus, quod verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit animam ejus, & appropinquavit cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quàm in vulneribus tuis eluxisset, quod tu Domine suavis & mitis, & multae misericordiae? Majorem enim miserationem nemo ha-



bet, quam ut animam suam ponat  
 quis pro addictis morti, & damnatis.  
 Meum proinde meritum miseratione  
 Domini. Non planè sum meriti inops,  
 quamdiu ille miserationum non fue-  
 rit.) Hanc ergo spem iterumque, ite-  
 rumque fixam habeto anima mea, &  
 repositam in cruce hauri de fontibus  
 salvatoris amando, sperando, quan-  
 tum potes, nunquam exhauries. Cate-  
 rum conformare memento Crucifi-  
 xo imprimis dilectionem tuam, ut se-  
 ria sit: audi enim de cruce clamantem  
 tot vocibus, quot plagis, serìò te, ò ho-  
 mo, dilexi non simulatè ut vides, serìò  
 tu saltem redama, at serìò. Quomodo  
 serìò diliges? odio tui, & patientiâ;  
 suspecta mihi omnis dilectio, nimis-  
 que videtur delicata, quæ cruce signa-  
 ta non est.

## CAPUT IX.

*Iesus Amabilis ob titulos dignitatis.*

**L**ectissimos Jesu titulos propono,  
 unde afficiatur magis animus erga  
 eum,



eum, cui merito dicat illud : (a) *Tu gloria Ierusalem, tu letitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

## §. I.

**J**esus Principium & finis? (a) Primus & novissimus ipse in omnibus est primatum tenens, primogenitus in multis fratribus, primogenitus omnis creaturæ, primitiæ dormientium. Nempe primus dignitate, primus prædestinatione, primus gratiæ, gloriæque, hoc est, totus nostri esse divini auctor, & consummator; erit ne postremus in amore, qui primus est in honore? attende homo ad petram, unde excisus es. Si primum in unoquoque genere mensura est cæterorum, nefas extra Jesum quærere amoris originem & mensuram,

FINIS item noster ac legis Christus. (b) Finis non qui consumat, sed qui consummet, in quo perficimur, &  
à quo

(a) *Judith 25. (a) Apoc. 2. Apost.*

(b) *Aug. Ps. 56.*



à quo perficimur, & hæc est perfectio nostra ad illum pervenire : sed cum ad illum perveneris ultra non quæris, finis tuus est. Quomodo enim finis viæ tuæ locus est quo tendis , quo cum perveneris jam manebis : sic finis studii tui , propositi tui , conatus tui, intentionis tuæ, ille est ad quem pertendis, ad quem cum perveneris, ultra nil desiderabis, quia melius nihil habebis.) Finis omnium & perfectio Christus, si quidem in illo esse, vivere, sentire, ac intelligere hi naturæ humanæ finu conclusi rerum creaturarum gradus perficiuntur intima cōiunctione cum Verbo principio suo , unde prodierunt. Ac sicut homo compendium orbis, ita orbis compendium in Christo ad principium suum à quo recesserat hominum lapsu , abusuque, rediit : in nobis tamen (d) omnis eadem creatura ingemiscit, & parturit usque adhuc revelationem filiorum Dei expectans. Ad hunc maximè spirat festi-

(d) Rom. 8.

nat-



natque gratia omnis, sicut ad Oceanum, unde saltem per vapores & imbres, profluxit unda, irrequieto cursu revertitur. A Christo gratia manat, ad Christum ipsum pondere innato tendit motum circularem parentis sui Christi imitata proles, (e) *Exivi à Patre, inquit factor gratiæ; & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ad Jesum itaque dirigatur intentio, omnia ad eum ab homine rectè utente rebus referantur, hæc siquidem non aliter ad principium suum, finemque reditura sunt, nisi quatenus per hominem velut sacerdotem mundi, eas in rationali pectoris sui gestantem, ad Christum cum expectata gloria consecrata reducuntur. Ab Jesu principium petatur, in Jesu desinatur, omne quodcumque facimus in verbo aut in opere, fiat in nomine Domini Jesu.

§. 2.

(e) *Ioan. 16.*



**C**Aput. (a) Christus est Caput Ecclesiae, & est Corpus eius Ecclesia, & in eius corpore Unitas membrorum & compago charitatis tanquam sanitas existit, & charitas est spiritus Christi quo animantur membra eius, inter quæ nos per baptismum incorporati numeramur. Quicumque autem in charitate frigerit, infirmatur in corpore Christi.) Sanè ille est Caput Ecclesiae, tum naturæ convenientia, quia homo item ut membra eius, tum ordine ac perfectione, tum denique virtute, quia thronus est eminentissimus sapientiæ, & omnium sensuum divinorum donorumque domicilium, quia spirituum dispensator, sensuumque divinorum ac motuum per luminosissimam charitatem: (b) Caput ergo habemus in coelo, caput nostrum interpellat pro nobis, caput nostrum

(a) *Ang. ser. 49. de verb. dom. in Ioan.*

(b) *Ibid. & alibi sæpe.*



nostrum sine peccato, & sine morte  
jam propitiat Deum pro peccatis no-  
stris: ut & nos in fine resurgentes, &  
immutati in gloriam coelestem sequa-  
mur caput nostrum. Quod enim Caput, &  
cætera membra. Sed dum hîc sumus,  
membra sumus, ne desperemus, quia  
secuturi sumus caput nostrum. Vide-  
te dilectionem capitis nostri. Jam in  
cælo est, & hîc laborat quamdiu hîc  
laborat Ecclesia. Hîc Christus esurit,  
hîc sitit, nudus est, hospes est, infirma-  
tur, in carcere est, quicquid enim hîc  
patitur corpus ejus, se dixit pati: esu-  
rivi, inquit, & dedistis mihi mandu-  
care, &c. Cum uni ex minimis meis  
fecistis, mihi fecistis. Sic etiam in no-  
stro corpore caput sursum est, pedes  
in terra sunt; Tamen in aliqua con-  
stipatione & coartatione hominum,  
quando tibi aliquis pedem calcatur,  
nonne dicit caput calcas me? Nec ca-  
put tuum, nec linguam tuam quis-  
quam calcavit. Sursum est, in tuto  
est,



est, nil ei mali contigit, & tamen quia per connexionem charitatis unitas est à capite usque ad pedes, non se inde lingua separavit, sed dixit, calcas me, cum eam nemo contigerit. Quomodo ergo lingua, quam nemo contigit, dicit, calcas me: sic Christus Caput, quod nemo calcat, dicit: esurivi, & non dedistis mihi manducare; sic ad Saulum clamat: quid me persequeris.) Sic etiam B. Francisco Xaverio gravius solito quiddam in India patiente imago Crucifixi sudore manare visa est non semel in sacello Castellii Xaveriani in regno Navarrae. O infinitam Capitis nostri erga nos infirma membra teneritudinem & commiserationem! (c) quod si sic nobis comparitur Caput nostrum, profecto decet nos & ipsi Capiti nostro patienti compati. Quidni communis sit Christi passio omnibus Christianis? quidni Caput suum membra sequantur? si  
bo-

(c) Bern. ser. 1. Quadrag.



bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? (si quidem æquo amore bona, malaque dantur, ac recipi decet) an respuere tristitia volumus, & communicare iucundis? Si ita est, indignos nos Capitis huius participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est; quod si in opere salutis nostræ collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? non est magnum si jejundet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum, si compatitur membrum Capiti, cum quo & glorificandum est. Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia Capiti, & sequetur illud quocumque ibit. Alioquin si fortè abscidi, separarique contingat, privetur statim necesse est etiam spiritu vitæ. Quæcunque enim portio Capiti non cohæret, unde ei jam sensus, aut vita? nec sanè deerit, qui expositam occupet,



pet, ut ne tunc quidem sit absque Capite (nempè dæmone) quis non solo contremiscat auditū? tollens membrum Christi faciam membrum dæmoniorum? abscissus autem à corpore Christi, Sathanæ miser incorporabor? sit procul à nobis semper execranda ista commutatio. Mihi omninò adhærere tibi bonum est ô Caput gloriosum & benedictum in sæcula, in quod & Angeli prospicere concupiscunt. Sequar te quocunque ieris. Si transieris per ignem, non avellar à te, non timebo mala quoniam tu mecum es. Tu dolores meos portas, & pro me doles, tu prius transis per angustum passionis foramen, ut latum præbeas sequentibus membris ingressum. Quis nos separabit à charitate Christi? ipsa enim est per quam omne corpus per nexus & juncturas crescit. Hoc glutinum bonum, cuius meminit Esaias (d). Hæc, perquam bonum est &

(d) cap. 41.



& jucundū habitare fratres in unum.  
Hoc unguentum quod descendit & in  
oram vestimenti, ut ne minima qui-  
dem fimbria careat unctione. In Ca-  
pite siquidem plenitudo gratiarum,  
de qua accipimus omnes : in Capite  
universitas miserationis, in Capite  
inexhaustus fons pietatis divinæ, in  
Capite affluentia tota spiritualis un-  
guenti, sicut scriptum est : Unxit te  
Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ par-  
ticipibus tuis. ) O participes tam glo-  
rioli, tam benefici Capitis, servate il-  
lud vobis illa sum etiam cum vitæ ve-  
stræ discrimine, sicut membra peri-  
clitans Caput protegere solent obje-  
ctu sui: salvo Capite salva res. Cresca-  
mus etiam in illo per omnia, qui est Caput,  
Christus, ex quo totum corpus compactum  
& connexum, per omnem juncturam sub-  
ministrationis secundum operationem in-  
mensuram uniuscujusque membri au-  
gmentum corporis faciet. (e)

§. 3.

(e) Ephes. 4.



## §. 3.

**PONTIFEX.** *Habemus Pontificem, qui penetravit cœlos, IESVM Filium Dei(a). Et quid est Pontifex nisi pons quidam ipse, pontisque factor, qui divortia Deum inter & populum tollat, & invicem jungat? Et quid est Sacerdos, nisi sacra dans populo, ac divinorum administer tum preces populi Deo offerendo, tum iratum Numen placando? (b) Omnis enim Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. Quid verò Christus nisi pons quidam substratus nobis, quo trajiciamus ad Deum, ac tot veluti pontes nobis supeditans, quot Sacramenta, quot media subministravit ad nos Deo intimè conjungendos? Per ipsum divina dona hominibus collata sunt juxta illud (c): Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit Deus, ut per hac efficiamur*

(a) Heb. 4. (b) Heb. 5. (c) 2. Pet.



mini divinæ consortes naturæ. Ipse etiam genus humanum Deo reconciliavit : nam (d) in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia. Neque verò sacerdos (e) tantum Christus, sed & hostia perfecta fuit legalium differentiam hostiarum unius sacrificij perfectione sanciens atque complectens. Fuit enim hostia pro peccato, quia (f) traditus est propter delicta nostra. Fuit & pacifica, quæ in veteri lege immolabatur pro offerentium salute, nempe ut homo in statu gratiæ conservetur semper Deo inharens, in quo ejus pax salusque consistit. (g) Christus autem factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Fuit denique holocaustum, id est, totum incensum, quod eò pertinebat, ut spiritus hominis Deo perfectè uniretur, id quod erit maxime in gloria : (h) *Habemus autem fiduciam*

(d) Col. 1. (e) S. Th. 3. p. q. 22. (f) Rom. 4. (g) Heb. 5. (h) Heb. 10.



*ciam per sanguinem Christi in introitum  
sanctorum, scilicet in gloriam cœle-  
stem. Itaque sacerdos Christus simul  
offerens & oblatio, cujus rei Sacra-  
mentum quotidianum esse voluit sa-  
crificium: unde licet diversa ani-  
malia in veteri lege offerrentur, quo-  
tidianum tamen sacrificium, quod of-  
ferebatur mane ac vespere, erat a-  
gnus, quo veri agni oblationem signi-  
ficabatur esse sacrificium omnium a-  
liorum consummativum. Neque ve-  
rò oblatione suâ Christus indiguit  
fons ipse totius sacerdotij, quem le-  
galis præfigurabat, & sacerdos novæ  
legis ut Vicarius repræsentat; nec  
medio eguit, qui (i) accessit per semet-  
ipsum ad Deum semper vivens ad inter-  
pellandum pro nobis. Ac (k) talis omni-  
nò decebat, ut esset nobis Pontifex sanctus,  
innocens, impollutus, segregatus à peccato-  
ribus, & excelsior cœlis factus, qui non hâ-  
bet necessitatem quotidie, quemadmodum  
sa-*

(i) Heb. 8. (k) Heb. 7.



sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Præterea Christus est Sacerdos in æternum, tum quia Pontifex non temporalium, sed (l) futurorum bonorum, quæ per ejus mortem adipiscimur: tum quia sacrificij sui vis manet in æternum consummans Beatos: (m) unâ enim oblatione crucis consummavit in æternum sanctificatos: tum denique quia licet sacrificium redemptionis in cruce semel perfectum nunquam iteretur: tamen sacrificium applicationis, quo iu-  
cruentè cruentum quotidie exprimitur, ac virtus ejus dispensatur; hoc verò durabit in æternum, hoc est, usque ad consummationem sæculi. Denique (n) secundum ordinem Melchisedech, sacerdos Christus dicitur. Ille enim figura perillustris fuit Domini JESU, ut infra cap. 12. constabit, & ab legali sacerdotio præfigurato in Abrahamo, decimas quasi tributum ho-

F 2

no-

(l) Heb. 9. (m) Heb. 10. (n) Ps. 109.



noris colligens, sacerdotij Christi dignitatem magnificè exhibuit, & manifestissimè sacrificium novæ legis incruentum in pane ac vino præmonstravit. Quis Principem Pastorum, & Episcopum animarum nostrarum unicum illum æternum sanctissimumque Pontificem non adoret, non diligat, eoque magis, quia & sacerdos, & hostia, ipse & altare, seipsum quotidie toties offert, quoties per universum orbem sacra peraguntur? Filius est, oblatus Patri placet, ecquis certius placet iratum? quis facilius impetret? quis gratius grates rependat? quis dignius adoret? Sed & nos fecisti Christe Jesu unctionis tuæ participes: (o) *fecisti enim nos Deo nostro regnum & sacerdotes*, unde & Christiani sumus. (p) Voluntariè ergo sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate. Sed quid nos offerimus,

(o) Ap. 8. (p) Bern. *serm. 3. in Purif.*



mus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? ille pro nobis obtulit hostiam pretiosorem, quam habuit, nimirum quâ pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui teipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur Majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico: utinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi, longèque gloriosius, atque utilius est, ut tibi magis offerar, quàm deferar mihi ipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur: in te verò exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat: sed jam nunc vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut ma-



gis convertatur , & vivat. Non vult Dominus mortem meam; & non libenter offeram illi vitam meam? ) vide cap. 4. hujus 2. part. & cap. ultimum 3. part.

## §. 4.

**R** *Ex Regum, Dominus Dominantium.*  
Nempè naturæ, donationis, acquisitionis, electionis, titulis justissimis. Naturâ quidem unctus in Regem unione suâ hypostaticâ , unde animi excellentia, ac species corporis digna imperio. Donatione Patris: (a) *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem Sion sanctum ejus, scilicet Ecclesiam, & Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manu , & data est mihi omnis potestas in cœlo , & in terra. Acquisitione, nos populus ejus acquisitionis , quem exquisivit sanguine suo, qui unctus in cruce regnavit à ligno , & imperium ejus super humerum ejus. Denique Electione*  
no-

(a) Ps. 2.



nostra Rex noster est ac Dominus. Ave ergo Rex noster, tu solus nostros es miseratus languores, (b) Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi: generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt: magnificentiam glorie sanctitatis tue loquentur, mirabilia tua narrabunt, &c. Regnum tuum regnum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione & generationem. At vide o Christi subdite, ne tributum cordis, quo unico regnat & gaudet Rex tuus, hoc est, amorem neges, (c) transtulit nos Pater in Regnum dilectionis filii sui. regnet ergo in corde nostro ejus dilectio, omnes affectus nostros dirigat nutibus suis. Amor ejus regat in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringat nos mortificatione pravorum animi & corporis motu. Sic amor Christi regit Sanctos, non delicato, sed durissimo in eos Impe-

F 4

riq

(b) Psal. 144. (c) Col. 1.



rio, & tamen suavissimo : durissimo  
usque ad sanguinem , suavissimo us-  
que ad gaudii in omni tribulatione  
superabundantiam. Veni Domine JE-  
su, (d) aufer scandala de regno tuo,  
quod est anima mea, & regnes tu qui  
debes in ea; venit enim avaritia , &  
vendicat in ea sibi sedem , jactantia  
cupit dominari mihi , superbia vult  
mihi esse rex , luxuria dicit: ego reg-  
nabo, ambitio, detractio, invidia, ira-  
cundia certant in me ipso, de me ip-  
so, cujus potissimum esse videar : ego  
autem quantum valeo, resisto, Domi-  
num meum JESUM reclamo , ipsi me  
defero , quia ipsius Juris me agno-  
sco, ipsum mihi Deum , ipsum mihi  
Dominum teneo, & dico, non habeo  
Regem nisi Dominum JESUM. Veni  
ergo Domine, disperge illos in virtu-  
te tua, & regnabis in me, quia tu es ip-  
se Rex meus, & Deus meus.) At ite-  
rum videat subditus Christi, & servus  
tan-

(d) Bern. Hom. 4. in Miss.



tanti Domini, quo affectu regem suum  
apes, quo aulici, quo subditi passim  
Reges ac supremos dominatores suos  
etiam duros ac vitiosos colant. Re-  
gem sæculi videre propius, & ejus vel  
fastidioso sermone respergi magna  
pars mundi tam beatum putat, ut si a-  
liter non obtineat, etiã damnis emat,  
idque adeptus non modò hominum,  
sed & sui immemor fiat. Videat hæc  
subditus Christi ac erubescat, si Re-  
gem Regum pari non colit affectu. Væ  
adorantibus Christum JESUM, simulq;  
percutientibus, eique imò sibi potius  
illudentibus! Videat denique & in-  
telligat, quàm universale sit, quàm  
absolutum, quàm intimum usque ad  
ipsius esse nostri fundum; quàm diu-  
turnum sit Domini Jesu Dominium  
super nos. Ne siquidem addicat sem-  
piternis ignibus, esto etiam insones,  
fecerit propterea illis injuriam. Quod  
si ab eo impudens ac servitutis tuæ im-  
memor quæras rationem facti, me ri-



tò audies: (e) *Tu quises qui r. spondeas Deo? quid sit tu vermiculum obteras, & rogatus quamobrem, dixeris quia Dominus vermiculi sum, sic placitum est, sit pro ratione voluntas, tunc à quoquam jure expostulari posse tecum putes? O diurne, o momentanee Mundi Regule, hæc tibi in subditas Creaturas licet, & Domino dominantium quicquid sibi libebit in te nominibus innumeris inferiorem subjectionemque quam tibi sit, vermiculus vilissimus non licebit? dic itaque in omni eventu, dic: (f) *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.* (g) *Nonne Deo subiecta erit anima mea?**

§. 5.

**L**EGITERNUS noster sapiens ad dirigendum, potens ad coercendum, adjuvans per gratiam. Lex enim ejus non modò imperat, ut lex Moylis; sed etiam impetrat gratiam. Non enim impossibilia jubet, sed jubendo

(e) Rom. 9 (f) 1. Reg. 3. (g) Ps. 81.



monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. Plenitudo legis Christi est dilectio, & mandatum ejus quàm suave fraterna dilectio! Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis. Dilige anima mea, & fac quod vis. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

§. 6.

**D**ux. Quem sequens non ambulat in tenebris, dux enim ipse, & lux: non sicut mundus cæcus cæco ducatum præstans. Duxit nos, unde? è servitute peccati plusquàm Pharaonica, melior Moyse in virga crucis mirificus, eduxit è sæculo, è morte. Quò duxit? ad libertatem filiorum Dei, ad cælum, ad vitam. Nec digito tantùm indicat iter tot infestum periculis, sed præit ipse in æstu tentationis umbraculum, in pluviam, & frigore tribulationis tegumentum in Lubri-

F 6

co,



co delectationis baculus, in naufragio vitæ portus. Deduc me Domine in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Non viæ tantum, sed & militiæ Dux Christus, dux amabilis quia fortis, prudens, vigilans, primus in periculis, divite stipendio remunerans, paribus secum conditionibus ad militandum invitans, adversus hostes non tam suos quàm nostros, moritur ipse in acie, & morte pacem nobis creat. Hunc sequere anima mea viæ, ac militiæ ducem tuum, nec ab aliis abducite siveris: Dominus solus dux noster fuit in laboriosâ expeditione redemptionis nostræ, & non erat cum eo Deus alienus, non divitiæ, non honos, non delitiæ, hos Deos relicto Jesu desertor perfidus sequar? surgent illi scilicet, ut opitulentur mihi in extremo viæ, vitæque periculo, & in necessitate me protegant. (a) Ad sequendum

(a) Bern. serm. 2. de As.



dum te Domine Jesu vix inveniuntur  
qui vel trahi patiantur, qui velint du-  
ci per viam mandatorum tuorum. A-  
lii enim trahuntur, qui possunt dice-  
re: Trahe me post te, alii ducuntur qui  
dicunt: Introduxit me Rex in cella-  
ria sua, alii rapiuntur, sicut Apostolus  
raptus est ad tertium cœlum. Ex pri-  
mi quidem felices, qui in patientia  
sua possident animas suas; secundi fe-  
liciores, quia ex voluntate sua confi-  
tentur ei; tertii felicissimi, qui in pro-  
fundissima Dei misericordia quasi  
quodammodo sepulta, jam arbitrii  
sui potestate in divitias gloriæ suæ, in  
spiritu ardoris rapiuntur, nescientes  
sive in corpore, sive extra corpus, hoc  
solum scientes, quod rapti sint. Bea-  
tus qui ubique te ducem habet. Domi-  
ne Jesu, non illum refugam spiritum,  
qui statim ascendere voluit, & tota  
divinitatis dextera percussus est, nos  
autem populus tuus & oves pascuæ  
tuæ, sequamur te, per te, ad te, quia tu



es via, veritas & vita: via in exemplo,  
veritas in promisso, vita in præmio.

§. 7.

**J**UDEX constitutus à Deo vivorum  
& mortuorum. Ac meritò sanè, ut  
qui judicatus est injustè, judicet justè.  
O formidandum Judicem omniscium,  
incorruptibilem, justissimum, severis-  
simum! formidandum autem? Imò di-  
ligendum ne formidetur, qui idcirco  
venire tamdiu differt, ut minus inve-  
niat quod condemnet: diligendum,  
inquam, ut indulgeat. In hoc perfecta  
est charitas in nobis, ut fiduciam ha-  
beamus in die judicii, quia sicut ille  
est, & nos sumus in hoc mundo. (a)  
Timor non est in charitate, sed per-  
fecta charitas foras mittit timorem.  
Quid est habere fiduciam in die judi-  
cii? non timere ne veniat dies Judicii.  
Cum cœperit desiderare venientem  
Christum casta anima, quæ desiderat  
amplexus sponsi, renuntiat adultero,  
ha-

(a) Aug, in epist. Ioan.



habet jam fiduciam in die iudicii, non contra se pugnat quando orat & dicit: *Adveniat Regnum tuum*. Qui enim timet regnum Dei, timet ne exaudiat: quia autem orat cum fiducia, charitas in eo optat jam ut regnum Dei veniat, non patienter moritur, sed patienter vivit, & delectabiliter moritur. Sicut ergo ille Christus Jesus fuit in hoc mundo, diligens nempe inimicos, ita & nos simus, & in hoc erit fiducia nostra in die iudicii.) Erit omnino finem inem nisi nos ipsos iudicemus, condemnemusque, si iudicium, quod totum Filio relictum est à Patre, temerè non usurpemus. Et adverte, quod Pater dedit Filio iudicii potestatem, (b) non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum! vult per hominem homines iudicari, quò in tanta trepidatione & perturbatione malorum electis fiduciam præstet naturæ similitudo.)

CA-

(b) *Bern. serm. 73. Cant.*



IESVS Amabilis obtitulos Dignationis Officiosa.

§. I.

**D**Eus noster. Nescio an alio in psalterii versiculo plus divinorum sensuum ac mysteriorum lateat, quam in postremo illo Psalmi 66. quem quotidie legimus in Laudibus, sic autem habet: *Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terra.* (a) Hic ego Doctrinae Christianae summam adverto, in qua non obscure credenda necessario ad salutem, faciendaeque: maxima item Dei erga nos beneficia, & nostrae pietatis officia continentur. Quid enim significat repetita tertio vox, *Deus*, adjuncta verbo in singulari *Benedicat*, nisi Mysterium Trinitatis? Cur secundo loco *Deus noster* ponitur, nisi ad indicandum, quod secunda Trinitatis persona sit modo singulari *Deus noster*? Cur semel ac iterum dicitur

(a) Ps. 66.

Be-



*Benedicat?* nisi ut intelligamus benedictionem gratiæ in hoc sæculo, & benedictionem gloriæ in altero à Deo petendam esse, velut Patris benedictionem? facienda verò seu officia Christianæ pietatis complectitur hæc clausula: *Et metuant eum omnes fines terræ.* Deum enim qui timet timore casto, legem implevit. Quod si etiam charitatem proximi requiras, habes in voto illo zelum animarum nullis angustiis regionum clausum, sed ad fines omnes terræ excurrentem. *Metuant eum omnes fines terræ.* Ergo Deus noster Christus est, tum ob assumptam carnem nostram, tum quia parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, (b) & totus in usus nostros expensus. Nobis inquam non sibi, qui utiq; ante tempora multo nobilius natus ex Patre nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cum magnum haberent, par-

vu-

(b) Bern. hom. 3, in missus est.



vulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis & datus, quia nobis necessarius. Jam de nobis nato & dato faciamus ad quod natus est & datus. (c) Utamur nostro in nostram utilitatem; de salvatore salutem operemur. Beata gens, cujus Dominus Deus ejus.) Noster autem Deus, at cujus non est Deus? non planè omnium eodem modo: Noster magis, noster qui vivimus de illo tanquam de pane nostro. Ipse sit hæreditas nostra, nostra possessio. An fortè temerè dicimus faciendo nobis Christum possessionem nostram, cùm sit Dominus, cùm sit Creator? non est ista temeritas, affectus est desiderii & dulcedo spei, dicat ei anima omninò secura, dicat Deus meus es tu, quia ipse dicit animæ nostræ, salus tua ego sum, dicat secura, dicat, non faciet injuriam, cùm hoc dixerit, imò faciet si non dixerit) dicat cum Thoma non amplius incredulo, sed fide-

(c) *Aug. Psal. 32.*



fideli, quando carnem suam, carnem Christi palpavit: Dominus meus, & Deus meus!

## §. 2.

**V**ISCERA Misericordiae Dei nostri, (a) in quibus visitavit nos oriens ex alto. Apparuerat potentia in rerum creatione, (b) apparuerat sapientia in earum gubernatione, sed benignitas misericordiae nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis potestas in signis atque portentis, unde & in ea lege sapius invenies: Ego Dominus, ego Deus. Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas innotuit, quia juxta Apostoli verba: Quod notum est Dei, manifestum est in illis. (c) Verumtamen & Judæi potestate ipsa premebantur, & Philosophi scrutatores majestatis opprimebantur à gloria: potestas subjectionem, majestas exigit admirationem, neutra

(a) Cant. Zach. (b) Bern. serm. 1. de Nat. (c) Rom. 6.



tra imitationem. Appareat Domine bonitas cui possit, homo qui ad imaginem tuam creatus est conformari, nam maiestatem, potestatem, sapientiam nec imitari possumus, nec expedit æmulari.) Ante Incarnationem Deus exhibuerat quidem hominibus quasi externam misericordiae suae speciem creando illos, & faciendo oriri solem suum, pluendoque super iustos & iniustos; at in mysterio Incarnationis viscera ipsa misericordiae suae patefecit, & in eos effudit. Quid enim Jesus aliud est, quàm ipsa misericordia summæ mortalium miseriae, nempe peccato remedium præsentissimum? in eo misericordia, & veritas obviaverunt sibi: Verbum in carne misericordia ipsa in miseria nostra, velut in throno suo sublimis. (d) Quid tantopere declarat ejus misericordiam, quàm quod ipsam suscepit miseriam? quid ita pietate plenum quàm quod

(d) *Bern. serm. I. Epiph.*



quod Dei Verbum propter nos factum est scenum? ) Merito illi canit Propheta: (e) *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus: nempe carnis & infirmitatis meae. Et Deus meus misericordia mea.* Cum enim attendo omnia bona, quaecumque habere possumus sive in natura, sive in instituto, sive in ipsa conversatione, in fide, in spe, in charitate, in bonis moribus, in iustitia, in timore Dei, adde & quaecumque speramus bona, totum hoc non esse nisi ex Dei ac Domini nostri Jesu donis: non invenio quid appellem JESUM meum nisi misericordiam meam. O nomen, sub quo nemini desperandum est, Jesus meus, misericordia mea! Quid est misericordia mea? si dicas salus mea, intelligo, quia dat salutem; si dicas refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum; si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem: misericordia mea quid est?

(e) *August. Psal. 58.*



est? totum quidquid sum de misericordia tua est. Sed promerui te invocando te: ut essem quid feci? ut essem qui te invocarem quid egi? si enim egi aliquid ut essem, jam eram antequam essem. Porro si omnino nihil eram antequam essem, nihil à te promerui ut essem: fecisti ut essem, & non tu fecisti ut bonus essem? si tu mihi dedisti ut sim, & alius mihi dedit ut bonus sim, melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quam ille mihi dedit ut sim. Porro quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi ut essem (quia omnia per Verbum facta sunt) ab illo accepi ut bonus essem, *Deus meus, misericordia mea.*)

§. 3.

**M**ediator Christus Jesus, (a) mediator fidelis, sicut in persona una Dei hominisque substantiam copulavit ineffabili Sacramento, sic & in

(a) *Bern. Ser. 2. de Ann.*



in ipsa reconciliatione consilio usus  
altissimo mediam non deseruit æqui-  
tatem utrisque tribuens quod oportebat: Honorem Deo, homini miserationem. hæc enim optima inter offensum Dominum, & reum servum forma compositionis, ut nec honorandi Domini zelo servus opprimatur austeriori sententia, nec rursus, dum huic immoderatus condescenditur, ille debito fraudetur honore. Audi igitur & diligenter observa Angelicam in huius mediatoris ortu distributionem: gloria, inquit, in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: huius denique gratia observationis fideli reconciliatori Christo, nec timoris spiritus defuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam ejus quæreret: nec spiritus pietatis quo misericorditer compatetur hominibus: Unde & necessarium habuit spiritum quoque scientiæ, per quem



quem timoris pariter & pietatis fieret distributio inconfusa. Et nota quod in primo illo parentum nostrorum peccato tres quidem auctores extiterint, sed manifestè defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum & Adam. Non habuit Eva scientiam, quæ ut ait Apostolus, seducta est in prævaricationem. Verùm hæc quidem serpenti non defuit, qui callidior describitur cæteris animantibus, sed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus est homicida. Adam verò pius fortè videtur mulierem non contristando, sed timorem Domini dereliquit voci illius magis obediens quàm divinæ. Utinam magis timor Domini prævaluisset in eo, sicut de Christo signanter legitur, quia replevit eum non pietatis spiritus sed timoris. In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est, & solus ipse est, qui totum sibi hominem debeat vendi-



dicare. In his igitur tribus timore, pietate, & scientia mediator reconciliavit homines Deo.) (b) Securus suscipio mediatorem Dei filium, quem agnosco & meum. Minimè planè mihi suspectus est, quasi in parte sit. Congruit ex æquo partibus inter se antea dissidentibus Deo & homini, ipse Deus homo, eoque neutri suspectus. Magna ex hoc mihi fiducia, ut tantæ me audeam credere majestati, frater enim & caro mea est. Puto enim spernere me jam non poterit os de ossibus meis, & caro de carne mea.) (c) Sanè gratia Dei non potuit gratius commendari, quàm ut unicus Dei filius in se incommutabiliter manens indueret hominem & spem dilectionis suæ daret hominibus, homine medio quo ad illum ab hominibus veniretur, qui tam longè erat immortalis à mortalibus, incommutabilis à commutabili-

G bus,

(b) Bern. Ser. 2. Cant. (c) Aug. 10. de Civit. c. 29.



bus, iustus ab impiis, beatus à miseris.)

(d) Benedictus ergo qui propter nimiam charitatē suam qua dilexit nos, filium suum dilectum, in quo ei bene complacuit misit, per quem reconciliati pacem habemus ad eum, & idem sit nobis reconciliationis huius & mediator & obses. Non est quod verearis, anima mea, sub tam pio mediatore, non est quod de tam fido obside dubites. Sed qualis mediator est, inquires, qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur, pannis involvitur sicut cæteri, plorat ut cæteri, denique infans jacet ut cæteri consueverunt. Magnus planè mediator est, etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt non perfunctoriè, sed efficaciter quærens. Infans quidem est, sed Verbum infans, cuius ne ipsa quidem infantia tacet: Consolamini, consolamini, dicit Dñs Deus vester, dicit hoc Emmanuel nobiscum Deus. Clamat hoc stabulū, clamat

(d) *Bern, Ser. 5. in Nat.*



mat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulū curando sese homini, qui in latrones inciderat præparari. Clamat præsepe eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat, pabulum ministrari. Clamant lacrymæ clamant panni, ejusdem ipsius cruenta jam vulnera ablui & detergi. Siquidem nullo horum Christus eguit, nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos.

§. 4.

**R** Edemptor. Quis redimitur, nisi à captivitate? (a) quis autem potest dicere injustam fuisse captivitatem suam, quando deseruit Imperatorem, & divertit ad desertorem? Imperator enim Deus, desertor autem diabolus. Præceptum dedit Adamo, & in illo nobis Imperator, fraudem suggessit desertor. Ubi aures tuæ ô Adam? inter præceptionem & deceptionem. Meliorne diabolus quàm Deus? melior

G 2

(a) Aug. Psal. 73.



lior qui defecit quam qui te fecit? Credidisti quod promissit diabolus, & invenisti quod minatus est Deus.) Inde est quod incidi in miseram captivitatem peccati, in carcerem, in mortem filius iræ, filius noxæ. (b) Inde est quod ego *carnalis sum venundatus sub peccato*, & sub tyrannide illius plusquam Pharaonica, occupor paleis, luto, ac lateribus rerum caducarum: (c) Inde est quod *sentio aliam legem in membris meis*, repugnantem legi mentis meæ, & caprivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Gratia liberatrix, gratia medicinalis, delectatio victrix, liberum arbitrium è servitute peccati redimens, expediensque ad implendum opus iustitiæ. (d) At quem misit Deus ad captivitatem nostram? militredemptorem filium suum. Porta, inquit,

(b) Rom. 7. (c) Ibid. (d) Aug. 104.



quit, tecum saccum ferro, ibi pretium  
captivorum. Induit enim se ille mor-  
talitatem carnis, & ibi erat sanguis  
quo fuso redimeremur.) Clavis & lan-  
cea perforatus est saccus, fluxit pre-  
tium nostrum, redempta est vita tua  
de corruptione, (e) ô homo, jam se-  
curus esto: Initus est bonæ fidei con-  
tractus cum Deo, nemo fallit redem-  
ptorem tuum, nemo circumvenit, ne-  
mo premit: Egit hoc commercium,  
jam pretium solvit, sanguinem fudit,  
sanguinem, inquam, fudit unicus filius  
Dei pro nobis. O anima erige te tanti  
vales, *Redimet de corruptione vitam  
tuam, qui coronat te in miseratione & mi-  
sericordia.*) Redimet, inquit, jam enim  
liberatus es ex captivitate, adhuc ta-  
men in spe, nondum in re: ambulas  
per fidem, nondum per speciem, ad-  
huc sub captivitate concupiscentiæ  
ingemiscis, (f) *Et ipse redimet Israel ex  
omnibus iniquitatibus suis: adeo ut qui*

G 3

potest

(e) Aug. Ps. 102. (f) Ibid.



potest jam non peccare, tunc non possit amplius peccare : quæ sola demum perfecta libertas est à servitute durissima peccati & concupiscentiæ. Agnosce jam quantum tibi contulerit Redemptor tuus : (f) Sedebas, ô homo, in tenebrosis & umbra mortis per ignorantiam veritatis, sedebas victus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem non ut torqueret, sed ut erueret de potestate tenebrarum. Et primò quidem veritatis Doctor depulit umbram ignorantie tuæ, luce sapientiæ suæ. Per justitiam deinde quæ ex fide est, solvit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit sermonem illum sancti David, Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Addidit quoque sanctè inter peccatores vivere, & sic tradere formam vitæ tanquam viæ, quâ redires ad patriam. Ad cumulum postremò piteatis tradidit in mortem animam  
(f) Bern. ser. 22 Cant. suam,



suam, & de proprio latere protulit  
pretium satisfactionis quo placaret  
Patrem, per quod illum planè ad ver-  
ficulum traxit: Apud Dominum mi-  
sericordia, & copiosa apud eum re-  
demptio. Prorsus copiosa, quia non  
gutta, sed unda sanguinis largiter per  
quinque partes corporis emanavit.)  
Prorsus copiosa, quia non contentus  
redimere semel, dedit abundè nobis  
thesaurum redemptionis, quo toties  
redimi possimus si volumus, quoties  
iugo Sathanæ obligamur. (g) Quid  
tibi ô homo debuit facere & non fe-  
cit? Illuminavit cæcum, solvit vin-  
ctum, reduxit erroneum, reconcilia-  
vit reum.) O Jesu nostra Redemptio.  
Amor & desiderium, quæ te vicit cle-  
mentia, ut nostra ferres crimina, mor-  
tem subires innocens, à morte nos ut  
tollereres? Ecquid Redemptori tanto  
retribuam? nihil habeo quod non sit  
tuum jure emptionis ac redemptio-

G 4

nig

(g) *Ibid.*



nis: (h) *Emptus enim sum pretio magno, glorificabo ergo & portabo te Deum in corpore meo: : Sed & (i) In manus tuas commendo spiritum non jam meum, sed tuum, quia redemisti me Domine, Deus veritatis.*

§. 5.

**S**alvator sen JESUS. Quid tam necessarium perditis, quid tam optabile miseris, quid tam utile desperatis quàm Salvator? Alioquin unde salus, unde vel tenuis aliqua spes salutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitiâ hâc diei, & loco afflictionis, nisi nova nobis & insperata nasceretur? At tu fortè salutem optas, sed curationis acerbiter tenebitur, pariter & ægritudinis propriæ conscius reformidas. Ne timeas, Christus id est unctus, suavis planè & mitis, & multæ misericordiæ, unctus oleo lætitiæ præ participibus suis, eis nimirum, qui licet non ipsam plenitudinem,

(h) *Cor. 6. (i) Ps. 30.*



nem, tamen hujus accipiunt participium unctionis. Quam multi usque hodie pereunt medicum fugientes, quod Jesum quidem noverint, sed Christum nesciant, humano sensu de multitudine & magnitudine morborum paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes! Gratulare tibi certum Salvatore adesse, eumq; Christum non urentem cauterio, sed unguento, non ustione, sed unctione curantem. Hanc salutis gratiam, si unus quispiam è conservis tuis, aut Angelus aut Archangelus, vel ex superiori quovis ordine Beatorum præstare posset, puto eam suscipere non detrectares; Nunc autem tantò ampliore tibi devotione suscipiendus est iste Salvator, quantò differentius præ cæteris omnibus nomen hæreditavit. Jesus Christus filius Dei. Habes enim in salvatore tanto, unde desideria humana expleas, quæ in tribus maximè constituta videntur, quod decet seu honestum,

G s

in



in persona filii Dei, quod expedit seu  
 utile, in salvatoris officio, quod dele-  
 stat seu jucundum in Christi, id est un-  
 di suavitate. (a) Ac merito sanè dum  
 circumciditur puer, qui natus est no-  
 bis, salvator vocatur, quòd videlicet  
 ex hoc jam cœperit operari salutem  
 nostram, immaculatum illum sangui-  
 nem fundens. Neque enim jam qua-  
 rere est Christiani cur voluerit Do-  
 minus Christus circumcidi: propter  
 hoc siquidem circumcisis est, propter  
 quod natus, propter quod passus, ni-  
 hil horum propter se, sed omnia pro-  
 pter electos: (b) Nec in peccato geni-  
 tus, nec à peccato circumcisis, nec  
 mortuus est pro peccato suo, magis au-  
 tem propter delicta nostra: Jesus ergo  
 vocatus est, quia salvum faciet popu-  
 lum suum à peccatis eorum. Neque e-  
 nim ad instar priorum meus iste Jesus  
 nomen vacuum aut inane portat: non  
 est

(a) Bern. ser. 2. de Circ. (b) Bern. ser.  
 1. de Circ.



est in eo magni nominis umbra , sed  
veritas. (c) Duos JESUS lego in typo  
huius præcessisse, ambos populo præ-  
fuisse , quorum unus populum suum  
de Babylone eduxit , alter suum in  
terram promissionis introduxit :  
Et illi quidem illos, quibus præerant,  
ab hostibus defendebant , sed num-  
quid salvabant à peccatis eorum ? Is  
autem noster JESUS & à peccatis sal-  
vat populum suum , & introduxit in  
terram viventium. Ipse enim salvum  
faciet populum suum à peccatis eo-  
rum. Quis est hic , qui etiam peccata  
dimittit ? Utinam & me peccatorem  
dignetur Dominus JESUS annumerare  
populo suo, ut salvum me faciat à pec-  
catis meis ! Verè enim beatus popu-  
lus, cuius iste JESUS Dominus Deus e-  
jus , quia ipse salvum faciet populum  
suum à peccatis eorum. Vis scire an  
pertineas ad populum ejus ? vel po-  
tius vis esse de populo ejus ? Fac quæ

G 6

di-

(c) Bern. Hom. 2. de B. V.



158 CHRISTIFORMITAS,  
dicit JESUS, & computabit te in popu-  
lo suo. (d) Sed quid dicimus, quod  
Esaïas JESUM multis nominibus ap-  
pellandum fore prædicens, hoc u-  
num tacuisse videtur? Et vocabitur,  
inquit nomen ejus admirabilis, confi-  
liarius, Deus fortis, Pater futuri sæcu-  
li, Princeps pacis. Sed ubi est nomen,  
quod est super omne nomen, nomen  
JESU, in quo omne genu flectatur? Ha-  
bes unum ex his omnibus appellatio-  
nibus JESUM: Nec omninò aut vocari  
posset, aut esse Salvator, si fortè quid-  
piam horum defuisset. Nunquid non  
verè Admirabilem eum singuli sumus  
experti in mutatione utique volunta-  
tum nostrarum? Hoc nempè est sal-  
vationis nostræ principium, cùm inci-  
pimus respuere, quod diligebamus;  
dolere, unde lætabamur; amplecti,  
quod timebamus; sequi, quod fugie-  
bamus; optare, quod contemneba-  
mus. Admirabilis planè, qui hæc o-  
peratur mirabilia; sed nihilominus &  
(d) Bern. *serm. 2. de Circ* con-



confiliarium sese exhibeat necesse est in electione poenitentiae, & vitae ordinatione, ne fortè sit nobis absque scientia zelus, & voluntati bonae prudentia desit. Sanè opus est, ut Deum quoque probemus, in remissione videlicet priorum delictorum, quia nec sine hac salus nobis constare potest. & nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus. Verùm ne id quidem sufficit ad salutem, nisi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantibus nos, ne ab eisdem rursus concupiscentijs superemur, & fiant novissima nostra pejora prioribus. Videturne, jam aliquid deesse Salvatori? Planè deesset, quod maximum est, nisi & Pater esset futuri saeculi, ut per eum scilicet in immortalitatem resurgeremus, qui per praesentis saeculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc satis, si non etiam Princeps pacis Patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum, ne fortè sicut filij



perditionis utique non salutis resur-  
recturi videremur ad pœnam. Mul-  
tiplicabitur sanè ejus imperium , ut  
meritò Salvator dicatur etiam pro  
multitudine salvandorum. Et pacis  
non erit finis , vt veram noveris esse  
salutem , quæ non possit timere defe-  
ctum. O dignissimum Salvatorem !  
(e) Huic amico dulci , consiliario  
prudenti , adjutori forti securus me  
credo, qui salvare me velit, noverit,  
possit. Quem quæsiuit, hunc & voca-  
vit per gratiam suam : nunquid ve-  
nientem ejiciet foras ?

(e) *Bern. serm. 20. Cant.*

§. 6.

**A**DVOCATUS. Advocatum ha-  
bemus apud Patrem, quàm solli-  
citem, quàm fidelem, quàm eloquen-  
tem, quàm gratuitò agentem causam  
nostram ! ipse nihilominus offensus,  
& testis, & judex, rogat Patrem pro  
nobis , ac perorat tot argumentis,  
quot opera bona in terris protulit,  
quor



quot pertulit mala. Quin etiam cicatrices eo fine tamdiu retentas ad commovendam Patris Misericordiam ostentat. Sic age Domine Jesus causam meam, cuius causæ tota bonitas ex te est, nec alia, quàm tua misericordia. (a) Utinam appenderet peccata mea Pater in statera crucis tuæ, & orationis pro me, quasi arena maris levior appareret iniquitas mea ad tantam meritorum & eloquentiæ vim!

(a) Iob. 6.

§ 7.

**P**RÆCEPTOR & MAGISTER.  
Vocatisme Magister & Domine, & benè dicitis: sum etenim. Si primus discendi ardor nobilitas est Magistri, quis Homine-Deo nobilior Magister? si sapientia Magistrum commendat, quid ipsâmet Dei sapientiâ sapientius? si doctrinæ sublimitas, tota cœlestis est, ipse Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis quæcun-



cunque didicit à Patre suo. Si doctrinæ facilitas, coelestia terrenarum rerum similitudine mirificè subjicit oculis auditorum, & in summam colligit doctrinam totam. Hoc est, inquit, præceptum meum, ut diligatis invicem: & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: denique gratis docet, ac minerval cordis duntaxat, amorem petit. Porro assiduitatem ex promisso divino intellige: non faciam ultra avolare ex oculis tuis Doctorem tuum. Quid quòd ipsemet liber est discipulis? Planè liber scriptus stylo hominis, prægrandibus characteribus, etiam cruore suo rubentibus, scriptus intus, & foris. O Jesu Præceptor & Magister bone, bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Aperimihi, Agne Dei, librum tuum, doce me scientiam sanctorum, da mihi scientiam salutis, Diligam te in fratribus meis, ut cognoscant omnes, quia discipulus tuus sum.

§. 8.



**M**EDICUS magnus venit de cœlo, quia magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus, ad hoc suscepit infirmitatem naturæ nostræ, ne sempiterna esset infirmitas nostra, quia ad Medicum venire non poteramus, ipse ad nos venire dignatus est: non contempsit saucium contemptus à sano, non destitit dare alia præcepta languenti, qui prima in Adam custodire noluit, ne langueret: tanquam diceret, certè experimento sensisti verum me dixisse, quando dixi: noli tangere hoc. Sanare ergo tandem, & revivisce. Ecce porto infirmitatem tuam, bibe amarum calicem temptationum, quibus abundat hæc vita; & ne responderet ei languidus, non possum, non fero, prior bibit Medicus sanus, ut bibere non dubitaret ægrotus) verè amarum calicem bibit Medicus, ut ex consideratione remedij periculi mei æstimem quantitatem, &  
non



non refugiam medicinæ portionem.  
 (a) Nesciebam, sanus mihi videbar, &  
 ecce mittitur Filius Dei altissimi, &  
 jubetur occidi, ut vulneribus meis  
 pretioso sanguinis illius balsamo me-  
 deatur. Agnosce ô homo, quàm gra-  
 via sint vulnera, pro quibus necesse  
 est Dominum Christum vulnerari. Si  
 non essent hæc ad mortem, & mor-  
 tem sempiternam, nunquam pro eo-  
 rum remedio Dei filius moreretur.  
 Pudeat itaque propriam negligentes  
 dissimulare passionem, cui tantam à  
 Majestate tanta exhiberi vides com-  
 passionem: compatitur filius Dei, &  
 plorat; homo patitur, & ridebit? Ve-  
 rum si diligenter observem præcepta  
 Medici, erit etiam consolationis oc-  
 casio; sicut enim gravem agnosco  
 morbum, cui tanta apponitur medi-  
 cina; sic & ex hoc ipso non incur-  
 abilem esse conector, neque enim  
 pretiosissimas species frustra insume-  
 ret

(a) Bern. ser. 3. de Nat.



ret medicus sapiens , imò Sapiencia ipsa. Porro frustra insumi constat non solum si absque eis facilis esset curatio, sed multò magis, si & cum eis sit impossibilis : animat itaque ad poenitentiam , & accendit vehementius desiderium spes concepta. ) Venite, clamat ipse Medicus , ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis , & ego reficiam vos. Sed quia ire non potuimus, venit ad nos , descendit Samaritanus misericors , & quoniam multæ erant infirmitates , multa quoque providus Medicus medicamina curavit afferre. Attulit spiritum sapientia & intellectus , spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientia & pietatis, & spiritum timoris Domini. Vides quot phialas plenas odoramenti cœlestis Medicus præparavit ad sananda vulnera illius miseri, qui incidit in latrones. Ex his profectò septem infudit oleum meis vulneribus, infudit & vinum , sed minus quàm olei:

lei:



lei : attulit quinque cados olei, vini non nisi duos. Vinum siquidem timor tantum, & fortitudo fuere, reliqua quinque oleum propriâ suavitae designant. O sapientia, quantâ arte medendi in vino & oleo animæ meæ sanitatem restauras fortiter suavis, & suaviter fortis. Sana me Domine, & sanabor; psallam & confitebor nomini tuo, & dicam : oleum effusum nomen tuum,) (b) Sanè nihil ita iræ impetum cohibet, superbix tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem, ut nomen JESU : Siquidem cum nomino JESUM, hominem mihi propono mitem & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, omni denique honestate, & sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo

(b) *Bern. ser. 15. Cant.*



emplo fanet , & roboret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cùm insonuerit JESUS. Sumo itaque mihi exempla de homine , & auxilium à potente, illa tanquam pigmentarias species, hoc tanquam unde acuam eas, & facio confectionem cui similem medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vase vocabuli hujus quod est JESUS , salutiferum certè , quodque nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax: Semper tibi in sinu sit , semper in manu quò tui omnes in Jesum , & sensus dirigantur & actus.) (c) Arque ut meliùs intelligas, quantum amoris debeas medico tuo, attende, quòd sanat gratis : quin etiam sanatis dat mercedem. Nihil addi ad istam benevolentiam potest. Quis est qui dicat, sanem te, & do tibi mercedem ? optimè fecit, sciebat enim se divitem venisse ad pauperem: & sa-

(c) Aug. *serm.* 13. *de Verb. Ap.*



& sanat ægrotos, & sanatis donat, & non aliud quàm seipsum donat salvator, & adiutorium languidi ipse sanator, & præmium sanati.) (d) Quis ergò desperet? æger es? ama JESUM, noli tibi sanus videri: cum spe ægrotat, qui medicum suscipit, desperatè ægrotat, qui medicum cædit. Qualis ergo ejus infania qui medicum occidit? quanta verò bonitas & potentia medici, qui de sanguine suo interfectori suo medicamentum fecit? Neque enim ille qui venerat quærere, & salvare quod perierat, pendens sine causa dicebat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, insani sunt, medicus sum, sciant, patienter fero, cùm occiderint, tunc sanabo.) Ecquis talem medicum non diligat? Sanatus leo ab S. Gerasimo serviit illi, ac morienti est commortuus. Sanatus animam à Christo, & sanatus hoc modo ab lethifera ægritudine, si medicum non amas, quã-  
cùm

(e) *Ibidem serm. 8.*



tum certè diligeres medicum, qui te  
ex gravi vitæ discrimine liberasset, ne  
tu Leone ferocior es ac immanior?  
(e) Quin tu potiùs medico tuo gratus  
illum dilige, illum prædica, saltem e-  
xemplo vitæ, ut magnus ille prædica-  
tor Paulus, vade cum illo, dic ægrotis,  
clama desperatis: (f) *Fidelis sermo, &*  
*omni acceptione dignus, quia Christus IE-*  
*SVS venit in mundum peccatores saluos*  
*facere, quorum primus ego sum; sed miseri-*  
*cordiam consequutus sum, ut in me osten-*  
*deret IESVS omnem longanimitatem, ad*  
*informationem eorum, qui credituri sunt*  
*illi, in vitam eternam. Nolite ergo de-*  
*sperare, ægroti estis, accedite ad eum,*  
*& sanamini: cæci estis, accedite ad*  
*eum & illuminamini, & qui fani estis*  
*ei gratias agite.)* Hæc prædicans me-  
dicus fies, & medicus tui gratiam &  
artem commendabis. Sed est quo ma-  
gis adhuc commendes, si remedia ti-  
bi

(e) *August. serm. 10. de Verb. Apost.*

(f) *1. Tim. 2.*



bi præscripta patienter & indiscrimi-  
na im admittas tam aultera quàm  
suavia. (g) Tu tibi ægritudinem com-  
paraſti peccando, ille venit non ſo-  
lùm fovere vel alligare contritiones  
tuas alligaturis Sacramentorum (quas  
perfectè ſano in cœlis medicus non  
amplius neceſſarias auferet) ſed & ſe-  
care & urere. Non vides, quanta ho-  
mines patiantur ſub medicorum ma-  
nibus ſpem incertam homini promit-  
tentium? Sanaberis, dicit medicus, ſa-  
naberis ſi ſecuerò, & homo dicit, &  
homini dicit, nec qui dicit certus eſt,  
nec qui audit; & tamen ad verba ho-  
minis neſcientis quid agatur in homi-  
ne, ſubdit membra, ligari ſe patitur,  
aut plerumque etiam non ligatus ſe-  
catur, & uritur, & accipit fortè ſalu-  
tem paucorum dierum, jam ſanatus  
quando moriatur ignorans, & fortas-  
ſe dum curatur, moritur, & fortasſe  
curari non poterit. Cui autem promi-  
ſit

(g) *Auguſt. Pſ. 8 ſ.*



sit Deus aliquid & fefellit? Dic igitur,  
ô Christiformando dic medico tuo,  
hîc ure, hîc seca, ut in æternum sanes  
& parcas, *Dic anima mea, salus tua ego  
sum. Psal. 53.*

§. 9.

PASTOR BONUS. Oves nonaginta no-  
vem reliquit in cœlis, ut vel uni-  
cam errantem animam quæreret, in-  
ventam super humeros humanitatis  
suæ, heu quàm grave onus! cruci æqui-  
libre reportaret ad patrem, & jubet  
Angelos gratulari sibi quasi summum  
bonum suum, & non potius meum in-  
venisset. Et quanto labore raptit mi-  
sellam oviculâ è lupi faucibus? vitam  
posuit pro ea. O qualem vitam, non  
qualem miseri mortem potius vita-  
lem trahimus, sed beatam, immorta-  
lem, nec alioqui morituram nisi no-  
strâ causâ, adeo pretiosam, ut vel mo-  
mentum illius unicum vitam infini-  
torum hominum, tota licet æternita-  
te duraturam infinitis partibus supe-

H

ret.



ret. Præterea inventam oviculam pascit non solum verbo doctrinæ, gratis jugiter ingestis opportunè, importunè, sed etiam corpore ac sanguine suo, ut de Deo saginetur. Ducit oves suas, exemploque ante eas vadit, illæ per eum velut ostium ingrediuntur nempe per orationem in se ipsos salutis propriæ vacantes, & in ipsum in intima Jesu penetralia, & cor amoris cellarium introeunt: egrediuntur verò per charitatem salutis proximi incumbentes, & exteriorem Jesu hominem Deum contemplantes ac imitantes: pascua porro ubique inveniunt. (a) *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, in Ecclesia sua, tot sacramentis, exemplis, documentis, meritis, inspirationibus, gratiis irrigua ibi me collocavit.* O bone Pastor quantâ sollicitudine curasti oves tuas, quas etiam sine pastore in terris non reliquisti, sed Petri amoris tertiâ interrogatione tentato, probatoque com-

(a) Ps 22. men-



mendaſti. Nunquid ego de tam felici  
ovili ovis una ſum? eheu erravi ſicut  
ovis quæ periit, quære ſervum tuum  
bone Paſtor, bone Ieſu, quia mandata  
tua non ſum oblitus uſquequaque.  
Non me rapiat quiſquam de manu  
tua, ſed converſus ad te Paſtorem &  
Epiſcopum animæ meæ, diligam te,  
ſicut dilexiſti me, & ponam animam  
meam pro te, ut paſcar æternum de  
viſo & amato te. Amen.

## §. 10.

**S**ERVUS. *Cum in forma Dei eſſet, for-  
mam ſervi accipiens, ſemetipſum exi-  
nanavit, (a) ut nos à ſervitute libera-  
ret; Ego autem, inquit, (b) in medio ve-  
ſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat, cui tamen  
Angeli miniſtrabant. Miramur S. Pau-  
linum ut viduæ filium à ſervitute re-  
dimeret, ſerviſſe ultrò barbaris: Pe-  
trum item Telonitam vendidiſſe ſe  
ipſum in ſervum, ut haberet, unde*

H 2

pau-

(a) *Phil.* 2. (b) *Luc.* 21.



pauperibus erogaret. (c) O qualem famulum Iesum cœli terræque Dominum! Quid quod formā servi nō solum accepit ut subesset, sed etiam mali servi ut vapularet, & servi peccati ut pœnam solveret, cū culpā non haberet? Non solum Iosepho & Mariæ ad vilissima rei domesticæ officia ministravit, sed etiam discipulis suis, etiam Judæ pedes lavit: Denique nostræ utilitati totus serviit quantus fuit, & quamdiu vixit. Quid quod etiam gloriosus in cœlis præcinget se, & transiens ministrabit beatis? Usque eò nos diligit velut alter, at melior Jacob, ut servire causā nostrā triginta quatuor annis voluerit. Eterubescant Christiformitatis candidati servire Domino servienti sibi? Omnis servitus amaritudine plena est, omnes conditione servili obligati & serviunt, & murmurant: (d) Nolite timere illius Do-  
mi-

(c) Bern. ser. ser. 4. hebdom. pen. (d)  
Aug. Psal. 99.



mini servitutem. Magna felicitas est, esse Domini servum, et si cum compedibus. Non frustra, nec sine exauditione dictum est: (e) *Intret in conspectu tuo Domine gemitus compeditorum: servite Domino in iucunditate.* Libera servitus est apud Dominum, libera servitus ubi non necessitas, sed charitas servit. Vos, inquit, (f) *in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed charitatem spiritus servate invicem.* Servum te charitas faciat, quia liberum te charitas facit. Simul es servus, & liber: servus quia factus es: liber quia amaris à Deo, à quo factus es: Imò etiam inde liber, quia amaseum, à quo factus es. Noli servire cum murmure, non enim id agunt murmura tua ut non servias, sed ut malus servus servias. Servus es Domini, libertus es Domini: non te sic quæras manumitti, ut recedas de domo manumissoris tui.) Servito in

H 3

la-

(e) Ps. 99. (f) Gal. 5.



laetitia non solum Christo, sed etiam infimo cuique. (g) *Non ad oculum quasi hominibus serviens, sed ut servus Christi, Domino Christo servio.* Urgeat te exemplum Christi, cuius hæc ad nos increpatio potentissima: (h) *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbuiisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

(g) Eph. 6. (h) Isa. 43.

# CAPUT XI.

IESVS Amabilis ob Titulos  
amatorios.

§. I.

**A**MICUS. *Iam non dicam, inquit, (a) vos servos sed amicos.* Etiam Judæ dixit, Amice, sed amans dixit non amatus. Majorem sanè charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis, posuit Iesus amicus noster vitam illam suam pro nobis cùm inimici essemus, ut amicos faceret. Fidelis est ac promptus ad opem, surget, etsi dormientem simulans, nec propter improbitatem tantum;

(a) Ioan. 19.

tum;



tum; sed propter benevolentiam, ubi audierit pulsan-tem, & orantem: *Amice commoda mihi tres panes*, (b) fidei, spei, charitatis, & cujusvis necessitatis. Cum amicus Lazarus infirmus esset, renunti- arunt amico sorores: Domine, ecce quem amas, infirmatur: non dixerunt, veni, amanti enim tantummodò nuntiandum fuit. (c) Non ausæ sunt dicere veni & sana, non ausæ sunt dicere, ibi jube, & hic fiet, nihil horum istæ, sed tantummodò: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sufficit ut noveris, non enim amas & deferis. Neque verò deferuit, sed venit, infremuit, lacrymatus est (ô tene-ritudinem amantissimi cordis!) excitavit à mortuis. Ecce quomodo amabat Jesus) (d) Illum dilige Christiformitatis amans, & amicum tene tibi, qui omnibus recedentibus te non derelinquet, nec patietur in fine perire.

H 4

Ab

(b) *Luc. 11.* (c) *Aug. tr. 49. Ioan.*  
(d) *l. 2. de Imit. c. 7.*



Ab hominibus oportet te aliquando separari, siue velis, siue nolis, teneas te apud Jesum vivens & moriens, & illius fidelitati te committe, qui omnibus deficientibus solus potest te juvare. At vide, ut sapius te visenti facias locum. Si vellet apud te hospitium habere aliquis senator, non dico senator, Procurator alicujus magni secundum sæculum, & diceret, offendit me quiddam in domo tua, etsi amares hoc, auferres tamen, ne eum offenderes cujus amicitiam ambires. Et quid tibi prodest hominis amicitia? fortè ibi non solum nullum auxilium, sed & periculum invenires. Nā multi non periclitabantur antequam majoribus jungerentur, exoptarunt majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent; securus opta amicitiam Christi. Hospitari apud te vult, fac illi locum: noli amare te ipsum, illum ama; si te amaveris, claudis contra illum, si ipsum amaveris, aperis illi,



li, si autem aperueris & intraverit, non peries amando tu, sed invenieris cum amato.) (e) O homo tu amicus es hominis ob naturæ conformitatem, quia homo est; ne in hoc præponderaret, ideoq; præligeretur homo Deo, Deus factus est homo. Quare si amicus es hominis, qui tecum fit, vel factus est homo, esto potius amicus ejus qui propter te factus est homo, utique propter te redimendum morte humanitatis, propter te nutriendum sacramento corporis & sanguinis, propter te erudiendum exemplis & beatificandum dupliciter duabus naturis.) (f) Divinâ scilicet animâ tuam, corpore verò corpus tuum. Denique sine amico non potes diu vivere, & si Jesus non fuerit tibi amicus, eris nimis tristis & desolatus. Ex omnibus ergo charis sit Jesus tibi dilectus specialis, diligantur omnes propter Jesum, JE-

H 5

sus

(e) S. Thom. Op. 61. (f) de Imit. Christi l. 2. c. 7, 8.



sus autem propter seipsum : ita in  
Christiformem evades. Quales enim  
amicos quisque habet, talem scias.

§. 2.

**F**RATER. (a) *Non confunditur IESVS  
vocare nos Fratres, dicens Patri, nun-  
tiabo nomen tuum Fratribus meis ; (b)  
Et Magdalena, vade, ait, ad Fratres  
meos, & dic eis: (c) Ascendo ad pa-  
trem meum & patrem vestrum. Qui  
Patri Christi dicit, Pater noster, quid  
dicit Christo nisi frater noster? non  
tamen sicut Christi Pater, & noster  
Pater. Nunquam enim Christus ita  
nos conjunxit, ut nullam distinctio-  
nem faceret inter nos & se. Ille enim  
filius æqualis Patri, æternus cum Pa-  
tre, Patrique coæternus, nos autem  
facti per filium adoptati per unicum.  
Proinde numquam audirum est de o-  
re Domini nostri Jesu Christi, cum ad  
discipulos suos loqueretur, dixisse il-  
lum de Deo summo patre suo, pater  
no-*

(a) *Heb. 2. (b) [Ps. 21. (c) Aug tr. 21. 10.*



noster, sed aut Pater meus, dixit, aut Pater vester: usque adeo ut Magdalena loquens posuerit hæc duo, Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum, non dixit nostrum. Sic jungit ut distinguat, sic distinguit ut non sejungat. Verum nos vult esse in se, unum autem & Patrem & se.) Verum etsi maior est, nihilo tamen minus frater noster est nobis per omnia similis absque peccato. (d) O Homo amas fratrem tuum, qui tecum dividit, & dividendo diminuit tibi paternum affectum & censum. Hunc fratrem tuum JESUM ama potius per quem erga te crevit amor paternus, per quem hæres efficeris, & ad paternum censum admitteris, quamvis Patri rebellans exheredari merueris, per quem nullum bonum tibi debitum minuitur, sed multiplex bonum indebitum tribuitur. Postremo tradit frater fratrem in mortem, sed

H 6

(d) S. Th. opusc. 6. c. 18.



hic pro fratribus semetipsum tradidit in mortem.) Gravis omninò est in terris annona coelestium : Adeamus Joseph fratrem nostrum , etsi toties à nobis proditum , horreis divinis præest , (e) *Constituit eum Pater, Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ, tantum manipuli nostri ejus manipulum adorent , ei accepta omnia bona nostra referamus , ne dubitemus, exosculabitur nos injuriæ oblitus, ditabitque ; hic enim est fratrum amator, qui multum orat pro populo Israel, pro cohæredibus suis, ipse primogenitus in multis fratribus. (f) O frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum, sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligam.*

(e) Ps. 104. (f) 2. Reg.

§. 3.

**S**ponsus. (a) Non sunt inventa æquè dulcia nomina , quibus Verbi animæque dulces adinvicem exprimerentur

(a) Bern. Ser. 2. post Oct. Epiph.



rentur affectus, quemadmodum sponsus  
& sponsa; quippe quibus omnia com-  
munia sunt nil proprium, nil à se di-  
visum habentibus. (b) Una utriusque  
hæreditas, una domus, una mensa,  
unus thorus, una etiam caro. Denique  
propter hanc relinquet ille patrem  
& matrem, & adhærebit uxori suæ, &  
erunt duo in carne una. Hæc quoque  
jubetur nihilominus oblivisci popu-  
lum suum, & domum Patris sui, ut  
concupiscat ille decorem ejus,) &  
unde hoc tibi ô anima, unde tibi hoc?  
unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut  
ejus sponsa merearis esse, in quem de-  
siderant Angeli prospicere avidi &  
semper pleni hoc, quod habent desi-  
derantes? Unde tibi hoc ut ipse sit  
sponsus tuus, cujus pulchritudinem  
sol & luna mirantur? (c) *Sponsabo te*  
*mibi, inquit, in sempiternum, & sponsabo*  
*te in fide.* O vox plena dulcedinis!  
Quid retribues Domino pro omnibus

H 7

quæ

(b) Bern. serm. 7. Cant. (c) Ose. 2.



quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ,  
socia regni, socia denique thalami,  
unde suscipiatur multiplex soboles  
bonorum operum & cœlestium gau-  
diorum de marito te Domine, ut in-  
troducatur te Rex in cubiculum suum?  
Quibus brachiis vicariæ Charitatis  
eum amplectaris & redames qui tan-  
ti te fecit? de latere enim suo, ut ex  
Adamo Evam, jam inde præmon-  
strans te formavit, quando propter te  
obdormivit in cruce, & somnum mor-  
tis excepit, propter te à Deo Patre  
exivit, & matrem synagogam reli-  
quit, & adhærens ei unus spiritus ef-  
ficiaris. Obliviscere ergo similiter  
populum tuum, & domum Patris tui,  
hoc est, dedisce carnales affectus, pra-  
vos sæculi mores dedisce, obliviscere  
consuetudines noxias. Quid enim pu-  
tas? Nonne stat Angelus Domini, qui  
fecerit te mediam, si fortè, quod aver-  
tat ipse, alterum admiseris amato-  
rem?) Quare age si te alieni pelli-  
ciant



ciant seu honoribus, seu delitiis, seu divitiis, dic illis cum S. Agnete & hæc sponsi injuria est expectare placituram. Multo uberiora & præclariora mihi deferens, me nobilior ille prior occupavit sponsus. Is annulo fidei suæ subarravit me, induit me vestimento salutis, & indumento lætitiæ circūdedit me, & tanquam sponsam decoravit me coronâ charitatis, tradidit auribus meis inæstimabiles eloquiorum suorum margaritas, circumdedit me vernantibus atque corruscantibus virtutum gemmis, mel & lac ex ejus ore suscepi, ut sciam reprobare malum, & eligere bonum etiam in sermonibus meis, sanguis ejus ornavit pudore genas meas, ostendit mihi thesauros incomparabiles æternæ felicitatis, quos mihi se daturum repromissit. Amo Christum in cujus thalamum introibo, cujus mater virgo est, cujus pater foeminam nescit, quem ego & amans casta, & tangens munda & accipiens



cipiens virgo sum, Ipsi soli servo fidem, ipsi me totâ devotione committo.

Verum ô sponsa vide ut absentem sponsum omni vitæ tuæ momento expectes ac desideres: si enim quidpiam agens dicensve mori nolles, nonne adulteræ est sponsi adventum timere? quin tu potius in vitæ discrimine gaude & dic: ecce sponsus venit, exi anima mea obviam ei.

§. 4.

**M**Ater sub Gallinæ Evangelicæ typo. Maternum erga nos affectum etiam amore præfervido amici fratris, & sponsi vehementiorem demonstravit Dominus Jesus seipsum Gallinæ assimilans, quoniam infirmatus est usque ad mortem, assumpsit infirmitatis carnem, ut pullos Hierusalem colligeret sub alas suas tanquam gallina infirmata cum parvulis. Audi lacrymabiliter ingemiscientem: Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas



pidas eos qui ad te missi sunt, quoties  
volui congregare filios tuos, sicut gal-  
lina congregat pullus suos sub alas, &  
noluisti. O similitudinem mellifluæ  
dulcedinis plenam ! Nullam aliam  
avem aliquando conspeximus infir-  
mari cum parvulis, gallina quomodo  
hoc habet ? certè notam rem dico,  
quæ in conspectu nostro quotidie ver-  
satur, quomodo raucescit vox, quo-  
modo fit hispidum totum corpus ? de-  
mittuntur alæ, laxantur plumæ, & vi-  
des circa pullos nescio quid ægro-  
tum, ut etiam si pulli non sequantur,  
filios non videas matrem tamen in-  
telligas. Et ea est materna charitas  
qua invenitur infirmata. Quare ergo  
Dominus nisi propter hoc gallina esse  
voluit ? Congregavit autem omnes  
gentes tanquam gallina pullos, qui  
infirmatus est propter nos accipiens  
carnem à nobis, id est à genere huma-  
no crucifixus, contemptus, alapis cæ-  
sus, flagellatus, ligno suspensus, lancea  
vulne-



vulneratus. Ergo hoc maternæ infirmitatis est, non amissæ majestatis: Habet hoc præterea gallina, quod difficilius in cæteris animantibus invenies, alis suis filios suos protegens contra Milvum pugnat. Sic etiam mater nostra sapientia Dei infirmata quodammodo per carnis susceptionem protegit infirmitatem nostram & resistit diabolo ne nos rapiat; & quidem affectu tanto majore pro nobis pugnat, quanto ille gallinæ affectus qui incubæ tantum est, non matris ab infinito divini paternique cordis erga nos amore (cujus iste rudimentum quaecunque est) distat. Infirmatus ergo Jesus nobiscum fortis est, pro nobis adversus diabolum. Noli tu infirmari in illius infirmitate, fortis esto, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: spe fortis eris, oratione fortis eris, oratione quidem sicut pulli qui gallinam matrem querula voce, quamdiu infirmi sunt jugiter



ter inclamant , nisi cum tuti sub ejus  
alis , certique maternæ sollicitudinis  
non egent : sic tu Jesum semper ora,  
Jesum semper inclama , quia infirmus  
es , semper eges illo. Spe verò etiam  
futurorum fortis esto ; spes ovo com-  
paratur , ea foris nondum pervenit ad  
rem , & ovum est aliquid , sed nondum  
est pullus , est spes pulli , testudine te-  
ctum est , non videtur , quia operitur ,  
cum patientia expectetur , ferveat ,  
& viveat. Ovum ergo nostrum , id  
est spem nostram rerum nondum ap-  
parentium , beatam illam spem ad-  
ventus gloriæ magni Dei , quam ex-  
pectamus , sub alis gallinæ Evangelicæ  
ponamus , non nobis dicatur , quoties  
volui & nolui , (audiant Augusti-  
num inimici gratiæ sufficientis. Ovo  
denique nostro scorpionem timeamus.  
Non perimat mundus spem nostram  
cauda sua , illis videlicet quæ retro  
sunt , nos trahit ad retro respicien-  
dum , nempe res fluxas , non verò ante-  
riora



190 CHRISTIFORMITAS,  
riora quæ speramus.) Gallina denique scorpis devorat & in ovum concoquit, & Jesus nobis faciet cum tentatione proventum, adeo ut si exurgat adversum nos prælium, in hoc sperare debeamus. O Domine Jesu, custodi me ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me; & ab æstu carnalium desideriorum, & à facie impiorum qui me afflixerunt. (d) Bona & desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refrigerium. Miserere mei Domine Jesu miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

## C A P U T XII.

*IESVS Amabilis in figuris.*

**A** Aron sacerdotio, & mirificâ virgâ crucis.

*Abel innocentia, Sacrificio, martyrio*

(d) Bern. Ser. 2. in Missus.



rio sanguinis non vindictam, sed veniam loquentis, à fratribus, Judæis, profugis fusi.

*Abiathar*, id est. pater residui electorum, pater funiculi hæreditatis æternæ, pater contemplationis, intimus Davidi.

*Abimelech*, i. Rex Regum qui arboris crucis ramum impositum in humeros ferens, dicensque ad socios, *quod me videtis facere, citò facite*, itaque turrim Sichem, corda, incendit, & expugnavit.

*Abram* pater sublimis, *Abraham* i. pater multitudinis credentium, non filium, sed seipsum immolans, arietem humanitatis in vepribus hærentem caput, in quo benedictæ sunt gentes, quia obedivit.

*Adam* cælestis, & novus; de terra Virgine, non maledictâ: sine patre, & matre natus, rectus, è cujus dormientis in cruce latere mater viventium Ecclesia ædificata est.

*Asen*



*Asen* filius Jacob cujus panis pinguis, in Eucharistia præbet delicias Regibus, Regali sacerdotio, genti electæ Christianorum.

*Assuerus*, id est, Rex, Princeps, caput populi convivio Eucharistiæ, Estheris Ecclesiæ amore.

*Benjamin* filius dexteræ Patris, sedens à dextris ejus, & *Benoni* filius doloris matris ad crucem stantis, delictæ patris, obses fratrum in Ægypto hujus mundi non expetitus tantum, sed & relictus pro alimonia in Eucharistia, in sacco corporis sui, calicem passionis habens & frumentum, simul & pretium nostrum.

*Banaïas*, id est, filius Domini Leonem Tartareum in spelunca Bethleem hyeme occidens.

*Daniel*, sapientia, iudicio, protectione innocentia in lacu leonum, liber in deserto, in sepulchro, cui Angeli ministrarunt esurienti.

*David*, id est, dilectus filius Jesse, id est



est entis, Dei parvulus humilitate inter fratres, electus ad Regnum occidit Leones & Ursos, Goliath Sathanam quinque lapidibus, nempe plagis: persecutionem Saulis, Absolonis, Philistinorum tulit, ferebatur manibus suis in cœna, stultus in Regia Achis, Herodis reputatus, mansuetissimus pepercit inimicis, & pro eis rogavit.

*Eliacin*, id est, Deus resurrectionis, Deus ultionum, quasi pater domûs Juda, Ecclesiæ habens clavem, domus David super humerum ejus: aperit, & non est qui claudat: claudit, & non est qui aperiat: denique est in solium gloriæ domui Patris ejus.

*Enos*, id est, vir, cœpit invocare nomen Domini, docendo orare, & Religiosi cultûs author.

*Gedeon*, id est, contere[n]s corda, tubis prædicationis, & confractio[n]e fistilium corporis sui, & Martyrum, lampadem fidei accendit, & Jericon-

tema



tem peccatorum ac idolorum ever-  
tit : cuius gladius panis subcinerit  
Eucharistia , quâ vincimus hostes no-  
stros.

*Henoc* , id est , dedicatus in libro sa-  
pientiæ nomine Justî , ab impijs perse-  
cutionem & calumnias passus , trans-  
latus.

*Helias* , id est , Deus fortis. Zelo ze-  
latus pro Domino Deo exercituum :  
linguâ cœlos claudens & aperiens :  
missus ad Viduam , naturam nostram ,  
de inopia sua eam ditans oleo miseri-  
cordiæ , destructor Balaam , raptus in  
cœlum.

*Iacob* , id est , supplantator Sathanæ.  
Primogenita tulit , pellitus , & simili-  
tudinem habens Esau peccatoris. Ra-  
chelem , id est , ovem animam erran-  
tem , Ecclesiam. Pastor bonus diutur-  
no labore sponsam promeruit profu-  
gus à facie Esau , Herodis : contem-  
plationi deditus vidit Angelos ascen-  
dentes ac descendentes supra se , duo-  
decim



decim Patriarchas Apostolos reliquit, quibus migrans benedixit: Electorum denique typus.

*Iob*, id est, vir dolorum, tentatus à dæmone, malè conjugatus, Christus quidem cum Synagoga, pauperrimus ex divite, ditissimus ex paupere, in sterquilinio crucis Deum benedicens, patientiæ miraculum, vexillum gloriæ Dei.

*Ionas*, projectus in mare tribulationum, exceptus in ventre ceti, mortis, dormiens in media tempestate quietus, egressus è ceto, è sepulchro per Resurrectionem, & prædicans pœnitentiam Ninivitis, mundo.

*Ioseph*, accrescens, dilectus Patri, qui fecit ei tunicam polymitam humanitatis, & Ecclesiæ: adoratus à Patre Iosepho, Matre Virgine, & fratribus Apostolis & nobis: missus fratres suos quærere, venditus à fratribus, damnatus innocens, è carcere eductus ad Ægypti, mundi gubernaculum, red:



reddens fratribus bonum pro malo.

*Iosue*, id est *JESUS* salvator. Amalecitarum & obescorum Regis Agag, carnalium, & Jerichontis, gentilitatis & vitiorum domitor, ductor populi per Jordanem Baptisim in terram promissionis, Ecclesiam & gloriam.

*Isaac* Angelo prænuntiante ex matre sterili natus, parentum risus, per quem Abrahamus, Pater æternus posteritatis æquantis numero stellas cœli in electis, & pulverem terræ in reprobis, cum *Ismaële* filio ancillæ, cum Judæis & lege timoris & vitijs partem non habuit, & *Jacob* minori benedixit, Ecclesiæ, non *Esaui* majori, Synagogæ; nupsit *Rebeccæ*, Ecclesiæ habenti duos in utero populos: electorum, & reproborum. Victimam tulit in montem lignum crucis, & humanitatis aries inter vepres spineæ coronæ hærens cornibus cæsus est.

*Moyse* evasione ex parvulorum cæde



de per filiam Pharaonis, Ægyptum, quò Christus fugit, officio mediatoris testamenti, Redemptoris mirifici ope Virgæ crucis per mare rubrum sanguinis sui & baptismi aquas Ecclesiam traduentis in desertum vitæ Evangelicæ, demerso Pharaone, persecutore Diabolo, jejunio quadraginta dierum, splendore vultûs in monte, legis novæ promulgatione, Æthiopissæ Ecclesiæ ex gentilibus conjugio, duodecim exploratorum Apostolorum missu in terram promissionis Ecclesiæ, & septuaginta iudicum Discipulorum delectu mitissimus, & zelantissimus.

*Melchisedech*, id est, Rex iustitiæ, & Rex Salem, id est, pacis, nec initium habens, nec finem, etiam Sacerdotis, Jesus enim Sacerdos in æternum, heri & hodie ipse, & in sæcula, sine genealogiâ paternâ in terris, maternâ in cœlis, panem & vinum obtulit in Eucharistia, ab Abrahamo decimas accepit



598 CHRISTIFORMITAS,  
velut sacerdotij Aaronis, qui erat in  
lumbis Abraham, tributum ipse Sacer-  
dotum Princeps eidem Abraham, fide-  
libus benedixit.

Noe, id est, requies nostra, ipse con-  
solabitur nos, arcam Ecclesie condi-  
dit, super aquas baptismi, in qua sa-  
lus, vino amoris Ecclesie ut vinee a  
se plantatae inebriatus, in cruce nuda-  
tus, irrisus a filio Judaeo, cujus filijs  
maledixit.

Salomon, id est, pacificus, sapientissi-  
mus, ditissimus, templi Ecclesie ex-  
tractor magnificentissimus: idem qui  
Salomon, id est, pacificus in exilio est;  
Ecclesiastes, id est, concionator, erit  
in judicio. Idida, id est, dilectus Do-  
mini in Regno.

Samson, id est, Sol praenuntiatus ab  
Angelo, novacula super eum non a-  
scendit, Gentilium & alienigenarum  
Ecclesiam Dalilam conjugem acce-  
pit occiso de via leone Idololatriae,  
invenit dulcedinem laudis ubi fuerat  
putor



putor blasphemiae, & vulpeculas, Herodiani-  
suis captiosis interrogatio-  
nibus quasi caudis cepit, plures Philis-  
tæos, hostes salutis, moriens, quam  
vivens occidit, ænigma proposuit, ge-  
nerationem suam quis enarrabit?

*Samuel*, id est, positus manu Dei; vo-  
tis matris, & synagogæ impetratus,  
in templo puer oblatus, & remansit,  
Judex Reges creans & ungens, bonos  
ut Davidem, malos ut Saulem.

Hactenus figuras Christi animatas  
exposui: nunc inanimes pauculas le-  
ctissimasque propono.

Paradisus voluptatis, in quo scili-  
cet quatuor fluvij, plagæ manuum ac  
pedum: fons verò in medio, plaga la-  
teris. Arbor vitæ. Arca Noë. Arcus  
in nubibus, nempe crucifixus, pacifi-  
cans. Rubus humanitatis ardens, ac  
unita divinitate incombustus, unde  
nomen suum Deus enuntiat. Virga  
Aaronis mirifica. Columna ignis.  
Agnus Paschalis. Petra deserti potum



præbens. Manna. Serpens exaltatus in deserto , in cruce similitudinem peccatorum principis gestans, à morfu serpentis seductoris aspicientes, id est, credentes sanat. Terramelle & lacte manans. Botrus in veste crucis inter præeuntes Prophetas, & sequentes Apostolos, vel à præeunte Judæo tergumque obvertente, id est, reprobaro gestatus , & à sequente Gentili populo, ac fidei oculos in eum convertente. Arca fœderis continens tabulas legis novæ, manna, & virgam crucis. Gladius Gedeonis ex pane subcinericio. Scala Jacob in sessa Deo, sub sessa homine. Templum. Thronus. Ferculum Salomonis. Lapillus statuam Nabuchodonosoris , id est, Idololatriam & vitium evertens.

Atque ex his omnibus figuris sparsisque luminibus admirabilem simul & amabilem Christi formam facile quivis colliget meditando. Sic Opticorum industriâ ex dissectis disjunctisque



que quasi temerè lineamentis pulcherrimas imagines in polyoptrico vitro, vel foramine collectas efflorescere cum admiratione cernimus.

## CAPUT XIII.

*IESVS amabilis in suis Nominibus.*

**A**BIAD Is. 9. id est, pater aternitatis.

Admirabilis Is. 69. Advocatus noster I Io. 2. Aditus ad patrem Eph. 2. Adonai, id est, firmamentum nostrum, Adadremmon Zach. 12. id est, scilicet prædestinatos ut grana malograna- tum in charitate ordinata continens, & coronans. Amicus, amor noster, Prov. 18. Angelus faciei, Isa. 64. Angelus magni consilij, Isa. 9. Angelus testamenti, Mal. 3. Antiquus dierum, Dan. 7. Agnus Dei, quippe innocens victima, mansuetus, totus utilis. Alpha, i. principium, Apoc. 1. Apostolus confessionis nostræ, id est, Religionis, Heb. 3. Aqua vitæ nempè lavans, fœcundans, refrigerans, restinguens, tra-



stabilis, omnem figuram in vase induens, omnia portans. Anchora animæ, *Heb. 6.* Aquila provocans pullos ad volandum, *Deut. 32.*

Borith, *Mal. 3.* id est herba fullo-  
num, seu sapo ad nos emaculandos.  
Botrus Cypri, *Cant. 1.* fructus vel racemus balsami. Brachium Dñi, *Isa. 59.*

Christus, *Dan. 7.* unctus ut Rex & sacerdos, ut sponsus, ut pugil. Caput Ecclesiæ, *Col. 1.* Candor lucis æternæ, *Sap. 7.* Candelabrum aureum, *Zac. 3.* Character substantiæ patris, *Heb. 1.* Clavis domus David, *Isa. 22.* *Apoc. 3.* Ecclesiæ, & paradisi. Consiliarius, *Is. 9.* Consolator, *Isa. 61.* & Consolatio Israël, *Luc. 2.* Consummatio abbreviata, *Isa. 10.* Cor sponsæ, scilicet Ecclesiæ dormientis vigilans, *Cant. 5.* Cornu salutis, *Zach. Cant. copiar, gloriæ, fortitudinis, Ps. 32.* Custos hominum, *Iob. 7.* Custos portæ orientalis, id est, Virginis, *2. Esdr. 3.* Custos civitatis, vineæ, id est, Ecclesiæ, *Cant. 1.*  
Desi-



Desiderium collium æternorum,  
*Gen.* 44. Desideratus cunctis Genti-  
bus, *Agg.* 22. Deus noster, *Pf.* 66. Dex-  
tera Domini faciens virtutem, *Pfal.*  
117. Dextera iustitiæ, *Is.* 41. Domi-  
nus. Dominus Davidis, *Pf.* 109. Do-  
minus dominantium, *Apocal.* 19. Do-  
num, *Ioan.* 3. Dux cant. *Mos.*

Emmanuël, *Isa.* 7. nobiscum Deus.  
Episcopus animarum nostrarum, 1.  
*Petr.* 2. Expectatio Gentium, *Genes.*  
49.

Fasciculus myrrhæ, *Cant.* Festina  
prædari. *Isa.* 8. Figura substantiæ pa-  
tris Filius, *Isa.* 9. Filius unigenitus,  
*Ioan.* 1. Filius David, *Luc.* 18. Flos de  
radice Jesse, *Isa.* 11. Flos campi, *Cant.*  
2. Fons patens, *Zach.* 13. Fons signa-  
tus, *Bar.* 3. Fons sapientiæ, *Eccles.* 1.  
Fons aquæ vivæ, *Apoc.* 21. salientis in  
vitam æternam, *Ioan.* 4. Fortis, *Isa.* 9.  
Frater noster, *Pfal.* 22. Fructus terræ  
sublimis, *Isa.* 4. Fructus benedictus,  
ventris virginiei, *Luc.* 2. Fructus ven-

I s

tris



tris David [Ps. 131. Frumentum Electorum. Zach. 9.

Gallina volens congregare pullos suos, *Matth. 23*. Gaudium magnum, *Luc. 2*. Germen Domini, *Isa. 4*. Germen David, *Zach. 13*. Gigas, *Ps. 18*. Gladius Gedeonis, *Iud. 7*. ex pane subcinericio gladius quo accinctus potentissimus, *Ps. 44*. Gladius utraq; parte acutus, *Apoc. 1*. Gloria nostra, *Ro. 9*. Gloria Libani, *Isa. 35*. Gloria Patris, *Psal. 16*.

Hæres universorum, *Heb. 1*. Homo & homo, *Ps. 86*. Hospes exceptus ab electis, rejectus à reprobis, *Matth. 25*. Hostia, *Heb. 10*.

Jesus. Ignis conflans, *Mal. 3*. Ignis missus in terram, imago Dei invisibilis, *Judex Justus, Sap. Justitia, Rom. 10*. Inundans justitiam. *Isa. 10*.

Lapis angularis probatus, lapis pretiosus electus, *1. Petr.* Lapis offensionis missus in fundamentis Sion. *Isa. 28*. Lapis abscissus sine manu statuum  
Na-



Nabuchodonosor evertens, *Dan.* 34.  
Leo de tribu Juda, *Apoc.* 4. Legifer no-  
ster, *Isa.* 43. Liliū convallium *Cant.*  
2. Lux mundi, *Ioan.* 1, Lumen ad reve-  
lationem gentium, *Luc.* 2. Lucerna  
Paradisi. *Apoc.* 21.

Magister noster, *Mat.* 19. Mammil-  
la Patris, *Iob.* 24. Medicus noster, Me-  
diator Dei & hominū, *Tim.* 2. Messias,  
*Io.* 4. id est unctus, Minister, *Matt.* 21.

Nazaræus i. florens, *Matth.* 1.

Oliva fructifera, *Pf.* 51. Omnia in  
omnibus, *Col.* 3. pax nostra Omnipoten-  
s sermo, *Oriens Zach.* 3. Ostium o-  
vilis, *Ioan.* 10.

Panis vitæ, *Io.* 6. & panis coeli, panis  
Angelorum, pastor bonus, *Io.* 10. Pater  
noster, *Isa.* 44. Paterfamilias, *Matt.* 10.  
Pontifex magn<sup>9</sup>, *Heb.* 4. Portio nostra,  
pars nostra, pars hæreditatis nostræ,  
*Pf.* 16. 15. Optima pars, *Luc.* 10. Prædi-  
cator, *Isa.* 52. Primogenitus omnis  
creaturæ, primitiæ dormientium, *Col.*  
1. Propheeta magnus, *Luc.* 7.



Radix Jesse, *Is.* 9. id est omnipotentis, Redemptor noster, *Iob.* 19. Reficiens laborantes, *Mat.* 11. Resurrectio nostra, *Io.* 11. Rex Regum, *Apoc.* 19. Rex pacificus, Rex sapiens, *Ier.* 23. Ros Hermon, *Pf.* 13.

Sacerdos in æternum, *Pf.* 109. Salvator mundi, sanctus sanctorum, *Dan.* 9. Sapientia, *1. Cor.* 7. Scala Jacob, *Gen.* 28. *Eph.* 2. scientia nostra, *1. Cor.* 2. Scutum nostrum, *Gen.* 15. juxta 70. Semē, *Is.* 1. Signum, *Is.* 7. Signum contradictionis *Luc.* 2. Signum populorum, *Is.* 9. Signū æternum, *Is.* 5. Signaculum super cor & brachium sponsæ, *Cant.* 8. Sol justitiæ, *Mal.* 4. Speciosus formā, *Psal.* 44. Speculum sine macula, *Sap.* 7. Spes nostra, *Heb.* 3. Spolia detrahe, *Is.* 8. sponsus, stella ex Jacob, *Num.* 24. stella matutina, *Eccles.* 50.

Templū Dei, *Apoc.* 11. Thesaur⁹ noster, *Col.* 3. Testis fidelis & verus, *Apoc.* 3.

Verbum caro factum, *Io.* 1. Veritas, *Io.* 14. Vermis, *Pf.* 21. Via, *Io.* 14. Vinū ger-



germinans Virgines, *Zach. 9. Vir, Ier. 3.*  
 Vir dolorum, *Is 55. Virga Aaron, Ex-*  
*xod. 7. Vita, Io. 14. Vitis vera, Io. 15.*

## CAPUT XV.

*IESVS Amabilis in Elogiis ex PP.*

**T**OTIUS potestatis summa, Thesau-  
 rus virtutum, Flos delectationū,  
 Amœnitas deliciarum, Conviviū An-  
 gelorum, *Aug. Mammilla Patris, qua*  
*nos lactavit, Clem. Strom. Sapientia no-*  
*bis lactescens de pane Angelorum,*  
*per viscera virginis trajecto & incar-*  
*nato facta lac parvulorum, Aug. Apex*  
*totius sanctitatis, Dion. Eccles. hier. c. 4.*  
 Adunitio & communio Dei & homi-  
 num, Mellificamen pro nobis, *Iren. l.*  
*5. c. 1. Victima generis humani, Euseb.*  
*l. 10. in pref. Legatus Dei Patris, Didy-*  
*mus l. 2. de Spiritu sancto. Infinita Dei*  
*clementia, Cyrus Apollin. restitutor pri-*  
*stinæ pulchritudinis, Greg. Nyss. l. de vi-*  
*ta Moſis. Solutio omnium difficultatū,*  
*Euthym. in Matt. Admiratio, Damasc. 4.*  
*de fide, Homo faciens Deos, l. virtus*



Dei inclusa in corpore, *Orig. tr. 33. in*  
*Matt.* Deificatio carnis nostræ, *Athan.*  
*ſ. 4. contra Arria.* Appellatio continens  
omnes appellationes, *Iustin. recapitu-*  
*lacio omnium bonorum, Iren. l. 3. c. 18*  
Operator prodigiorum, *Iustin. in exp.*  
*ſid.* Unctio Patris, & Filii, & Spiritus  
ſancti, *Hesych. in Levit.* Ineffabilis Deus  
deſcenſus, *Cosm. hieroſ.* Potentia Dei-  
tatis in carne latens, *Maxim. Monach.*  
*Cent. 1, c. 11.* unio ſublimium & hu-  
milium, *Amphil. orat. in Pater noſter.* Ta-  
bernaculum Deitatis, *Nyſſ. hom. 13. in*  
*Cant.* Coagulum noſtri cum Deo, *Greg.*  
*Naz. orat 4.* Aſpectus habens excellen-  
tiam divinitatis, *Theoph. Alex. ep.* Ob-  
ſes à Patre nobis datus, Radix pacis  
noſtræ, *Chryſoſt.* Clypeus fortitum, *liber*  
*vita.* Pſalterium & cythara, qua Pater  
canit ſe & creaturas, *Rupert. l. de victo-*  
*ria Verbi.* Ferculum divinitatis, *Id. in*  
*Cant.* Magnificencia Patris, *Greg. Mag.*  
Armatura, Machara Patris, virtus &  
ſagitta Dei patris, *Hier.* Reſpublica o-  
mnium



mnium gratiarum, statua omnium virtutum, *Chrys.* Facies ultimæ pulchritudinis, *Guill. Paris.* Amoris decalogus.

## EPILOGVS.

**H**Actenus expositâ, nec fatis unquam exponendâ Domini Iesu amabilitate iubet congesta, ideoque concepto fœta mens hoc Epiphonemate adhortatorio concludere. Eia Christiformande, IESUM tuum sic agnitum nunc tandem dilige, unus non sufficit tantæ amabilitati amor, exere omnes pectoris tui vires & amores, pete latitudinem cordis sicut arenam, quæ est in littore maris, tot corda pete, quot cœlo sydera, quot in sylvis frondes, quot in agris gramina, quot in Oceano guttæ, quot in terris mortales, quot in paradiso Angeli, quot in Domino Iesu amabilitates: excors es, si cor tuum alibi quàm in IESU est. (a) Quàm aridus & durus es sine IESU! insipiens & vanus, si cupis aliquid extra IESUM! Nonne hoc est majus damnum

(a) *1. 2. de Im. Ch. c. 7.*

quàm



quàm si perderes mundum? Quid potest mundus conferre sine Iesu? esse sine Iesu gravis est infernus, & esse cum Iesu dulcis paradiscus. Si fuerit tecum Iesus, nullus poterit nocere inimicus. Plus homo nocet sibi, si IESUM non quærit, quàm totus mundus & omnes adversarii ejus: qui invenit IESUM, invenit thesaurum bonum, imò bonum super omne bonum, & qui perdit IESUM, perdit nimis multū, & plusquàm totum mundum. Pauperrimus est qui vivit sine Iesu, ditissimus est, qui bene est cum Iesu. O Iesu Deus meus & omnia, ubi sint omnia mea tu scis, tu enim thesaurus cordis mei.

*Nescio quid sit amor cordi, quid cor sit amor.*

*Hoc scio, quod totus cor ego, IESVS amor.*



INCAR.





# INCARNATIONIS MYSTICÆ

PARS TERTIA.

VITA CHRISTI MY-

stica, sive Mores Christiformes.

CAPUT I.

*Christiformitas vitæ necessaria.*

**S**I boni amores faciunt bonos mo-  
res, profectò Christi amores partu-  
rient optimos Christi mores. Nec e-  
nim Christiformitas solâ Jesu menta-  
li continetur ideâ vel affectus quâ-  
dam nimis delicati sterili teneritudi-  
ne : prodeat oportet, nascatur ope-  
rando, & vivat si conceptus est intel-  
ligentiæ quasi alvo Christus. Amor o-  
peratur magna si est; si vero non ope-  
ratur, amor non est. (a) Probatio  
quippe dilectionis exhibitio est ope-  
(a) Greg. ris.



ris. (b) Dilectio Jesu dulce verbum, sed  
dulcius factum. ) Si verbum è sinu Pa-  
tris nunquam exisset, neque caro fa-  
ctum esset, mansisset utique nobis o-  
tiosum ad salutem: verbum cordis,  
feu Christus in anima, hoc est, idea a-  
matoria Christi, nisi è sinu mentis e-  
rumpat in opus, vana est, incarnetur  
ergo in opere, ut valeat ad salutem.  
Verbum imago est Patris non vacua,  
sed plena, quisquis in formâ Christi  
vult inveniri, sicut orat in primâ mis-  
sâ Nativitatis Christi Ecclesia, curet  
ne imaginaria sit & vacuâ, sed plena  
operum quam corde concepit forma.  
Dicere Dei est ipsum facere, dixit &  
facta sunt: tunc dixeris divinè, & eru-  
ctaveris verbum bonum, cùm feceris  
& dicaveris opera tua regi Christo  
Jesu, verbum Dei est non sonans, sed  
penetrans, non loquax, sed efficax,  
non obstrepens auribus sed affectibus  
blandiens. Denique credis in Chri-  
stum

(b) Aug, tr. 7, ep. Ioan.



stum(c) (qualem tibi præcedenti parte huius opusculi adumbravimus) fac Christi opera, ut vivat fides tua, fidem tuam dilectio animet, prober actio. Non incurvet terrenum opus, quem fides cœlestium erigit, qui te dicis in Christo manere, debes sicut ipse ambulavit & tu ambulare, non meum sed ipsius monitum est, si diligitis me, mandata mea servate. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invidēs, absenti detrahis, reponis lædenti te, hoc Christus non fecit, confiteri te nosse Deum, factis autem negas: non rectè planè, sed impiè linguam Christo, cor dedisti Diabolo.) Beatus qui intelligit, quid sit amare IESUM, exclamas quidem, & contemnere se ipsum propter IESUM! oportet dilectum pro dilecto relinquere, quia IESUS vult solus super omnia amari, imò & solus amari, ita ut cætera non amentur, nisi propter ipsum  
so-

(c) Bern. *serm.* 24. *Cant.*



solum. (d) puta amorem tuum quasi manum animæ, si aliquid tenet, tenere aliud non potest, qui amat, seculum, simul amare IESUM non potest, occupatam habet manum: dic illi Deus, tene quod do, non vult dimittere quod habebat, ideo non potest accipere quod offertur.) Ergo discat spernere mundum, spernere nullum, spernere sese, spernere sperni, quisquis vult non spernere, sed amare ac tenere IESUM. Verum hic labor hoc opus. (e) Quam pauci post te Domine IESU ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo sit qui nolit: hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dexterâ tuâ usque in finem: propterea volunt omnes te frui, at non ita imitari; conregnare cupiunt, sed non compati, non curant quærere, quem tamen desiderant invenire, cupientes consequi, sed non & sequi.)

§. 2.

(d) Aug. Ps. 67. (e) Bern. s. 21. Cant.



## §. 2.

**T**U autem ô Christiformitatis studiose, qui certus es Christum sequi & vitâ moribusque exprimere, adverte cautè idola quædam esse virtutum, tam spiritus Christi vacua, quàm ethnica ac politica honestatis, hoc est ventosissimæ tumida vanitatis. Omnis virtus tam longè est à vera virtute, quàm longè est ab ea forma, quam verbo & exemplo commendavit Christus præsens in carne.

(a) Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis;  
(b) ubinam quæso vera prudentia nisi in Christi doctrinâ? unde vera iustitia, nisi de Christi misericordiâ? ubi vera temperantia, nisi in Christi vitâ? ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? soli ergo qui ejus doctrinâ imbuti sunt prudentes dicendi, sunt soli iusti, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt, soli temperan-

(a) Ser. 4. de Adv. (b) Ber. ser. 22. Cant.



perantes qui ejus vitam imitari student soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat, in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat quàm à Domino virtutum, cujus doctrina seminarium prudentiæ, cujus misericordia opus justitiæ. Cujus vita speculum temperantiæ. Cujus mœurs insigne est fortitudinis. Sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto ut nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt & alii mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Alios lugentes videas, sed si de corde procederent illæ lacrymæ, non tam facile illico solverentur in risum. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, ut videri possent esurire & sentire justitiam, sed contra alios tam impudenter quam inaniter æstuant, seipsum tam insipienter quàm inutiliter palpant.



pant. Sunt alii misericordes de his, quæ ad ipsos non pertinent, qui scandalizantur, si non datur omnibus abundanter, sicut tamen ut ipsi, ne in modico quidem graventur; Item sunt qui peccata sua confitentur, at ea, quæ sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt, qui si verè mundari desiderarent ut videntur, non irritarentur, sed haberent illis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. Sed & alii qui si vident quempiam vel leviter scandalizatum valde solliciti sunt, quomodo eum in pacem reducere possunt, & viderentur pacifici nisi eorum commotio, si fortè contra eos quidquam quam factum dictumve videbitur, tardius universis poterit difficilisque sedari, qui nimirum si verè pacem quærerent, haud dubium, quin eam quærerent sibi ipsis.) Atque hæc omnia sunt mera simulacra virtutum, quas Christus aperiens os suum in monte



218 CHRISTIFORMITAS,  
monte Ecclesiam ac perfectionis  
Christianæ, seu Christiformitatis cul-  
men significante prædicant. Talium  
idolorum cultoribus, & honestatem  
mundi non solidam virtutem ac spiri-  
tum Christi habentibus, jure impro-  
peret Christus suum illud : *Nonne Eth-  
nici hoc faciunt ? vel, hæc omnia gentes  
inquirunt.* (c) Nos autem non sic. Imi-  
temur quoad possumus eum, qui sic  
dilexit paupertatem, ut quamvis in  
ejus manu essent fines terræ, tamen  
non habuerit ubi caput reclinaret,  
quique tanquam ovis ad occisionem  
ductus est, & sicut agnus coram ton-  
dente se obmutuit, quem & super ci-  
vitatem flevisse, & in orationibus per-  
noctasse legimus, risisse verò aut jo-  
casse nusquam : qui sic esurivit justi-  
tiam, ut cum propria non haberet ta-  
men pro peccatis nostris à seipso exe-  
git satisfactionem, unde in cruce ni-  
hil aliud quàm justitiam sitiebat, pro  
inimicis mori non dubitavit, & ora-

(a) *Bern, ibid,*

vit



vit pro crucifixoribus suis, qui peccatum non fecit, & impositum sibi ab aliis patienter tulit, qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.)

§. 3.

**D**isce Christiane à Christo quemadmodum diligas Christum. (a) Dilexit nos dulciter, sapienter, fortiter amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis carnis assumit veritatem, sed peccati similitudinem dulcem prorsus in illa exhibens consolationem infirmo, & in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis Diabolo. Porro ut Patri nos reconciliet mortem fortiter subit, & subigit fundens pretium nostræ redemptionis sanguinem suum. Disce ergo tu amare dulciter, amare fortiter: dulciter ne illectus, prudenter ne deceptus, fortiter ne oppressus ab amore Domini avertaris, ne mundi gloriâ seu car-

K

nis

(a) Bern. Ser. 20.



nis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus, ne seducaris spiritu mendacii & erroris, luceat tibi veritas Christus, ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus.) Denique cum sola conformitas maritet animam Christo, sicut sponsam sponso, nec modò contractus ille sit matrimonii, sed complexus vide ô qui Christiformitatis veluti proculus es, ut dilectio tua sit sponsæ dilectio. Magna res Christi dilectio sed sunt in ea gradus. Audi Apostolum: *(b) Estote imitatores Dei sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, qua Christus dilexit vos.* Viden amoris gradus duos? unum filii quo patrem imitemur Deum, alterum sponsi, quo nempe Christus dilexit nos, & quo sponsæ sponsum redamare debemus. Bonus est amor filii, sed melior sponsæ. Amant filii, sed de hereditate cogitant, quam dum verentur quoquo modo amittere, ipsum à quo

*(b) Eph. 5.* expe-



expectatur hæreditas plus reveren-  
tur, minus amant. Suspectus est mihi  
amor, cui aliud quid adipiscendi spes  
suffragari videtur: infirmus est qui  
fortè spe subtractâ aut extinguatur,  
aut minuitur: impurus est qui & aliud  
cupit. Purus amor mercenarius non  
est, purus amor de spe vires non sumit,  
tamen diffidentia damna sentit. Ac  
sponsa hic est qualem debeat anima  
Christo, qualem verbum exhibet  
sponsa carni nostræ in Christo: spon-  
sa res & spes unus est amor, hoc spon-  
sa abundat, hoc contentus est sponsus:  
nec is aliud quæret, nec illa aliud ha-  
bet. Hinc ille sponsus, & sponsa illa  
est. Is sponsus proprius est, quem alter  
nemo contingat, nec filius quidem.  
Denique ad filios clamat, ad imitato-  
res Dei, ubi est honor meus, & non ubi  
est amor meus, servans sponsa & ama-  
toribus Christi hanc prærogativam.)  
Quare ama Christum, Christi more &  
amore ô Christiformitatis amans. Ama



spiritu Christi, spiritu gratiæ, non  
suggestione naturæ suæ ubique ac  
semper quærentis. Ama nil omnino  
ei præponendo, quia nec nobis quid-  
quam ille præposuit. Nec de intrin-  
secis ejus bonis tibi complacere, illi  
gratulari sufficiat: Gaudeas sanè  
quòd ineffabilis Dei bonitas, ita in  
humanitate illa resplendeat, quòd  
possideat ipse Deus-homo tam in-  
æstimabilem in vilitate carnis nostræ  
majestatem & gloriam: At ibi ne  
amor hæreat, perge ad procurandam  
ejusdem gloriam quoad poteris maxi-  
mam. Qui sic diligit non modò vitat  
lethiferum peccatum, quoad humana  
fert infirmitas, sed etiam veniale, quin  
& opera quæcunque bona ad ejus glo-  
riam promptè, alacriter ac devotè  
semper ad majora anhelans præstat,  
nullam non virtutem ejusque exer-  
cendæ oportunitatem captat. Verùm  
ne vagetur amor incertus, quas ex in-  
finita virtutum Christi multitudine  
potius



potius deligat, & quibus potissimum studeat, hic ego proprios ac spectatissimos velut Christi characteres, per varias ejus ætates velut summa legens capita propono, quibus qui conformis erit imitando, erit omnino vita moribusque Christiformis.

## CAPUT II.

*Christiformitas cum puero Iesu in parvitate.*

## §. I.

**Q**uid est aliud Incarnatio quam Verbi exinanitio, quâ exitiosa hominis inflatio & superbia, jam inde ab audito illo *eritis sicut dii*, divinitatem affectantis, comprimitur? Tamdiu dilata est ut interim Judæus legis suæ operibus ventosissimè tumens, conscius tandem inopiæ suæ fieret, & ex multiplici prævaricatione infinitam redemptoris necessitatem, & gratiæ agnosceret. Cœpta est eadem ab humilitate Virginis, quæ tum Dei-para fuit cum ancillam Domini se

K 3

pro-



professa est subternendo intellectum, voluntatemque verbo ac nutui divino. Perfecta denique illa est incomprehensibili Verbi ad carnem se abjicientis depreffione. Rapuerat homo gloriam Deo, proculcaverat impudentissimè supremam ejus auctoritatem præcepti violatione: quis restituat? Parvulus datus nobis Deus homo. Hic subdens Deo se reddit, cum foenore ereptam gloriam. Quid enim gloriosius Deo quàm subjici illius imperio hominem-Deum sibi æqualem? Hastenus nil adeo gloriosum fuerat Deo obedire hominem, at obedire Deum ipsum Deo, id verò magna est gloria, qua major nequit intelligi. Hinc Jesu nato canunt Angeli gloria in altissimis Deo, hinc Ecclesia Angelis succinens, gratias, inquit, agimus tibi propter magnam gloriam tuam, nempe Christum natum, sibi verò quid servat Deus-homo dans gloriam Deo, eaque se abdicans? Servat vilitatem



tem infantiae, fasciarum, vagitus, stabuli, propudiosam denique peccati notam circumcissus admittit. O pusillum! Quid porro vagit infans? quid in utero, in praesepe, in latebris domesticæ tam diuturnæ subjectionis, in cruce Deus absconditus quid prædicat, quid clamat? Nempe suum illud discite à me quia humilis sum corde. Quomodo humilis? Deo in altissimis gloriam restituendo, sibi in infimis assumendo servitutem, vilitatem, peccati similitudinem. Scholâ & cathedra multiplex, uterus, stabulum, domus Nazarena, crux, at unica Magistri lectio humilitas. Hæc videlicet una sufficit virtus, hæc prima, hæc media, hæc ultima. Hæc denique tota si vera & cordis est. Nemo unquam clarius quàm anima humilis Jesu perspexit, nil omnino habere se, quod non acceperit, eoque nec sibi gloriantum quasi non acceperit; nulla enim veri perspicacior extitit, proinde que



nec humilior. Hinc illud: ego vir videns paupertatem meam. Et illud: doctrina mea non est mea. At enim si non tua Domine JESU, quomodo tua? si tua, quomodo non tua? tu enim dicis utrumque, & mea doctrina, & non mea. Quæ est doctrina Patris nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum: quid enim tam tuum, quam tu: quid tam non tuum, quam tu si alicujus es quod es?) Hinc etiam gloriam suam Christus non quærit, sed Patris, adeoque non quærit suam, ut etiam fugiat: adeò fugit, ut etiam jugi miraculo, dum vivit in terris, coercet intra se gloriam corpori debitam, alioqui ex anima beata erupturam, ac semel cùm eam exundare ruptis quasi aggeribus permisisset coram  
ram

(a) *Aug. Tract. 29. Ioan.*



ram pauculisteſtibus , hoc ipſum ſi-  
lento premi voluit. Et nos tantum  
non miracula tentamus ad gloriam  
nomini noſtro conciliandum, quæ ſo-  
li debetur Deo! O Chriſtiformitatis  
amatores diſcite gloriam in altiffimis  
Deo canere , diſcite nuſquam niſi in  
cruce gloriari , diſcite exinaniri for-  
mam ſervi accipientes, non Domini  
gloriam rapientes. Exinanite, exi-  
nanite animam veſtram uſque ad fun-  
damentum profundiffimæ humilita-  
tis in ea , furtum de manibus veſtris  
excutite , reddite gloriam Dei Deo.  
(b) Origo fontium & fluminum mare,  
virtutum & ſcientiarum Dominus Je-  
ſus Chriſtus : quis enim Dominus  
virtutum, niſi ipſe Rex gloriæ? ſed &  
juxta Annæ canticum idem ipſe Deus  
ſcientiarum Dominus eſt, continentia  
carnis, cordis induſtria, voluntatis re-  
ctitudo ex illo fonte manant, non ſo-  
lùm autem; ſed & ſi quis callet inge-

K 5

nio,

(b) Bern. ſerm. 13. Ioan.



nio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est; unde scientiæ, unde sapientiæ sermo, thesauri siquidem sapientiæ & scientiæ ibi omnes absconditi sunt. Quid? casta consilia, iusta iudicia, sancta desideria nonne rivuli fontis illius sunt? Quod si copia aquarum secretis subterraneisque recessibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus, ususque nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude & intermissione reddantur? ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, nempe ad Christum factorem gratiarum, ut iterum fluant, remittatur ad suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur. Qualiter, inquis? qualiter dicit Apostolus in omnibus gratias agentes, quicquid sapientiæ, quicquid re virtutis habere confidis, Dei virtuti,



ac Dei sapientiæ deputa Christo. Soli Deo honor & gloria, solus cuncta creavit, solus de hoste triumphavit; torcular enim calcavit solus, & de gentibus non fuit vir secum: solus captivos liberavit, & socium habebit in gloria? gloriam meam, inquit, alteri non dabo. Et superbus, ego, inquit, mihi eam licet non dederis, usurpabo: nec enim placet ei Angelica distributio dans gloriam Deo, pacem hominibus. Quid nequius servo usurpante gloriam Domini sui? Joseph noverat mulierem esse gloriam viri, solamque ex bonis Domini non esse relictam in sua potestate uxorem: unde iudicavit iniquum in gloriam facere eum, qui se fecerat gloriosum. Quid? ergo homo zelat gloriam suam, & Deum audet velle fraudare sua quasi non zelantem? Gratiâ Dei es quod es, quod si studeas captare gloriolam pro gratia quam accepisti, nonne fur es & latro? Quid habes quod non ac-



cepisti? omninò nihil : ergo nec meritum præcessit in te ullum, ut illa, de quibus gloriaris, acciperes. Qui enim non fecisti ut esses, fecisti ut bonus esses? Qui in peccatis natus es totus? Quòd si & hoc fatearis, profectò frustra inflaris adversus alium, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit ut tu. Nec judicares proximum contemnendum præ te, si non præ illo te honorandum judicares.) Audes alteri te præferre conscius & certus peccatorum tuorum, nescius & incertus alienorum? (c) Et undè tibi gloria putide pulvis, tibi unde? de vitæ sanctitate? sed spiritus est qui sanctificat, spiritus dico, non tuus, sed Dei. Ad blanditur popularis favor, quòd verbum bonum, & benè fortè deprompseris? sed Christus donavit os, & sapientiam.) (d) O si scires, quàm parum est quod habes, & hoc ipsum quàm

(c) *Ibid.* (d) *Bern. ser. I. in Ps. Qui habitat.*



quàm citò perdes, si non servaverit ille, qui dedit? Hæc enim duo sunt, quæ valdè collectos, & subjectos Deo nos reddere possunt.) Sed quid denique tuum unde glorieris, nisi mendacium & peccatum? At gratiæ Dei consensisti cùm dissentire posses: quis non irrideat naufragum eo gloriantem, quia porrigentis auxiliatricem dexteram apprehendit, cùm eam posset non admittere? Quis contra mendicum eò se magnificè circumspicientem non indignetur, quòd stipem oblatam non rejecerit? Absit ergo mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi in æstimatione illa misericordi, quâ me sibi fecit æquilibrem in statera crucis, emens me pretio sanguinis sui. Hæc enim verò gloria mea maxima & sola, tanti à Deo fuisse æstimatum ac redemptum. (e) Quid enim nobis gloriosius, quàm quòd tanti æstimavit nos Deus? Quanquam

K 7

&amp;

(e) Bern. ser. 13. Cant.



& hoc ipsum revera gloriari in solo Deo, à solo Deo est.) Verum hæc humilitas in cognitione necessaria est, quam scrutans corda & renes veritas sensibus ingerit animæ vigilantis: adhibe præterea, ô anima Christiformis voluntatem, & fac de necessitate virtutem. (f) Disce quia JESUS humilis est corde, hoc est, illâ humilitate, quam suasit cordis affectio, non quam extorsit discussio veritatis. Eris tu quoque humilis cordis affectu, si nobis aliter apparere foris, quàm te invenis intus, alioquin time, ne de teipso legas pondus, & pondus abominatio est apud Deum. Quid enim? tu te depretiaris in secreto apud teipsum veritatis trutinâ ponderatus, sentiens nil esse tuum, nisi mendacium & peccatum, te dignum esse omni dedecore & contemptu, dignum etiam omni extremitate & inferioritate, dignum plagis: quid ergo foris alterius pretij men-

(f) Bern. serm. 42, Cant.



mentiens majori te pondere vendis nobis, quàm ab ipsa veritate accepisti? time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas; hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum: magis autem acquiesce Deo, & sit voluntas subdita veritati: nec tantùm subdita, sed & devota. Nonne Deo, inquit, subiecta erit anima mea? Et parum est esse subiectum Deo, nisi sis & omni humanæ creaturæ propter Deum: Subdere paribus, subdere & minoribus. Sic enim docet nos, inquit, Joanni se subdens, implere omnem justitiam. Vade & tu ad minorem, si vis in justitia esse perfectus, defer inferiori, juniori te inclinato.)

## §. 2.

**A**Tque hætenus primus est humilitatis gradus, sibi gloriæ nil arrogare; & hoc devotè, nec verè tantùm confiteri, at profundius descendit,



dit, si non modò gloriam non quærit, sed etiam fugit. Christus JESUS nocte voluit nasci, tacet infans, non se extollit, non magnificè prædicat, cùm eum annuntiat Angelus: laudat multitudo cœlestis exercitûs. Et ubicant Angeli? in stabulo. Quibus annuntiant? pastoribus. Ubique in ipsa gloriæ luce commendatur humilitas. Si eum adorant Magi, adorant in exiguo Bethlehem oppidulo: esto non in stabulo, ut eruditis placet, ad eò in admittenda gloria etiam gloriæ fugax Christus fuit, ut prælegerit Bethlehem glorificationi, Hierosolymam passioni. Quid quòd triumphans sedit super pullum asinæ? diceres humilitatem triumphare, & hanc triumphus sui maximam esse pompam? O humilitas virtus Christi quantum confundis superbiam nostræ vanitatis!) (a) O quisquis JESUM sequeris avidus, Christiformitatis inventum absconde

(a) Bern. ser. 1. Epiph.



de thesaurum, ama nesciri, laudet te  
os alienum, fileat tuum). (b) Nec mala  
quidem tua nisi prudenter ac humili-  
ter ac prudenter detegat. (c) Est enim  
confessio eò periculosius noxia quò  
subtilius vana, cùm ipsa etiam inho-  
nesta & turpia de nobis detegere non  
veremur, non quia humiles sumus, sed  
ut esse putemur; appetere autem de  
humilitate laudem humilitatis, est  
non virtus, sed subversio.) (d) Cùm  
ergo laudari se comperit verus humi-  
lis, de bono, quod se fortè habere cog-  
noscit, nihilominus quantum in se  
est, scuto veritatis curat à se jaculum  
favoris repellere, dans gloriam Deo,  
& dicens: gratiâ Dei sum id quod  
sum, & propulsans à se omnem suspi-  
cionem ait Domino: non nobis Do-  
mine, non nobis, sed nomini tuo da  
gloriam.) Sic Christus, cùm vellent  
facere illum Regem, fugit in montem  
ipse

(b) *Ber. ser. 3. Nat.* (c) *Ber. ep. ad Sen.*

(d) *Ber. ep. ad hem. Sen.*



ipse solus; ad Deum, solitudinis suæ ac miseriæ conscius, fugit humilis, cum laudatur, Deum laudans. Laudem ut flagellum timens, & laudatores adulatōres putans. Probat ipse opus suum, ut sic habeat gloriam in semetipso, & non in altero fidelis sui met custos, qui sibi oleum favoris sine fraude reseruet, ne in adventu sponsi lampas conscientiæ vacua extinguatur. Insipiens tu superbe, qui merces congregas in saccum pertusum, qui thesaurum tuum alieno in ore constituis: ignoras quod arca ista non clauditur, nec seram habet, nullique omnino clausa nocere volenti. Non tutum planè est, sed stultum ibi thesaurum tuum recondere, unde non valeas resumere cum volueris: si ponis in os meum, jam non in tua, sed in mea potestate est, cum utique pro meo libitu vel laudare te possim, vel derogare tibi. Sanum vas conscientia, & secretis, quæ benè ago, servandis



dis idoneum. Quicquid in ea reposueros securus sum, quia non perdam, servabit vivo, defuncto restituet. O quanto utilius est abscondere, quam ostentare si quid habeamus boni! Sicut & mendici, cum eleemosynas petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra ac ulcera si habuerint, ut citius ad misericordiam videntis animus inclinetur.

§. 3.

**A**ltissimus humilitatis gradus est, ignominiam pati & amplecti. (a) Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit, ipsumque contemptum.) Christus nondum natus hospitio & Bethlehem oppidulo excluditur, fugatur ab Herode, ignominiosam peccati notam suscipit in Circumcisione, nomen in Baptismo, poenam in cruce, factus pro nobis peccatum & maledictum. Quasitus ad regnum fugit,

(a) Bern.

git,



git, quæ sit ad probra, ad supplicium  
ultro se offert & ingerit. Circumcidi  
& baptizari vis Domine Jesu, (b) ut  
quid enim, aut quid tibi opus fuit Cir-  
cumcisione aut Baptismate? Numquid  
fane opus est medicina, aut munda-  
tione mundo? Non sic impii, non sic a-  
git perversitas elationis humanæ: e-  
rubescimus vulnerum ligaturam, qui  
de vulneribus interdum etiam glo-  
riamur, quem nemo arguere potest de  
peccato, ipse peccati remedium &  
verecundum pariter & austerum sine  
ulla necessitate suscepit. Nos è contra  
inverecundi ad obscœnitatem culpæ  
erubescimus agere pœnitentiã, quod  
extremæ dementiæ est malè proni in  
vulnera, peius in remedia verecundi.  
Qui peccatum non fecit, non dedig-  
natus est se peccatorem reputari, nos  
& esse volumus & nolumus æstimari.)  
Venit ad Baptismum tanquam unus è  
populo, qui solus erat sine peccato.

Quis

(b) Bern. *serm.* 1, *de Circ.*



(c) Quis eum crederet filium Dei? quis putaret Dominum majestatis? Valdè quidem humiliaris Domine, in imis absconderis, sed Joannem qui te nondum natum, nondum natus agnovit latere non poteris. Ego, inquit Joannes, à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Magna utrimque humilitas, sed nulla comparatio. Quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo? ) Ergone tam humilis Deus & adhuc superbus homo? (d) Et quæ superbia sanari potest, si humilitate tanta non sanatur? ) Stude ô Christiformitatis sectator humilitati Christi (e) quæ solidum fundamentum est, custosque cæterarum virtutum, sectare illam, quæ sola te potest salvare. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quàm ut videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo

(c) Bern. *serm.* 1. *de Epiph.* (d) Aug.  
(e) Bern. *serm.* 1. *de Nat.*



mo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est, ut ubi sese exinanivit majestas, vermiculus inflectur & intumescat.) Ecce de cœlo venit, qui servis in terra occurrere, eos salutare & honore prævenire etiam reprobos, puta Caipham, Herodem & alios inferioris notæ non despicit, & nos in terra humiliari contemnimus, qui de terra sumus, honore prævenire fortè electos, fortè reprobi ipsi refugimus. Audi superbè, qui JESUM doctorem non audis, pro exemplo se statuentem audi, vel intonantem illud, nisi efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cœlorum. Esto parvulus cum JESU parvulo. (f) Qui se dedit in terra parvulum parvulis, magnus in cælo offeret se magnis, semperque in illo magni esse poterimus, si semper sub illo parvuli simus.

CA.

(f) Aug. Ps. 62. &amp; ser. 4. in vigil. Nat.



*Christiformitas cum puero IESV  
in simplicitate.*

§. I.

SAPIENTIA patris in carne nostra sapientiam carnis & hujus mundi quæ inimica est Dei, elisit infantili simplicitate. *Quod enim stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Ille infans in cunis vir est, tam rationis compos matris in gremio jacens, quàm sedens Patris in solio; & vagit tamen, & se constringi finit fasciis, & natus ab æterno de corde patris, renatus est denuò in plenitudine temporum de utero matris, & quasi modò genitus infans, sine dolo lac concupiscit. Hæc porrò infantilia non fiètè ac in speciem, sed verè ac seriò exequitur. Sic sic renasci denuò, & pueros effici non sensibus, sed malitia Christiformitatis amatores necesse est in simplicitate cordis fiant rectè scientes bonum & malum, sicut Emmanuel nobiscum  
Deus,



Deus, qui butyrum & mel comedit,  
ut sciat reprobare malum & eligere  
bonum, quales per fatuam arrogan-  
tiam homines primitus esse volue-  
runt serpentis instinctu, sed non va-  
luerunt. Tanti est apud Christum ea  
mentis infantia & simplicitas, ut nisi  
renato & parvulo patere cœlum velit  
nemini. Quin ob hoc ipsum propo-  
situm laudat Patrem: *Confiteor*, inquit,  
*tibi Pater Domine cœli & terræ, quia ab-*  
*scondisti hæc à sapientibus, & prudenti-*  
*bus, & revelasti ea parvulis; ita Pater, quo-*  
*niam sic placitum fuit ante te.* Adhære-  
scat ergo fidelis uberibus matris Ec-  
clesiæ, & quidem clausis proprii judi-  
cii quantumvis obluētantis oculis,  
captivans illud in obsequium fidei.  
lactentes claudere oculos solent, ne-  
que quod sugunt, cernunt: bibat salu-  
tare doctrinæ lac ex ambobus novi  
ac veteris testamenti uberibus ab Ec-  
clesia propinatum, concupiscat lacte-  
scentem nobis sapientiam, sequatur  
fiden-



fidenter matrem ducem quocumque  
illa duxerit. Quid? si rusticus, etiam  
puer parvulus iter tibi peregrinanti  
indicet, credis, & fœminæ credis te le-  
gitimum afferenti, tu Ecclesiæ sponsæ  
Christi, Deoque ipsi credere cuncta-  
beris? in homine carnali tota regula  
intelligendi est ipsa consuetudo cer-  
nendi: plus tribuit oculo quàm oracu-  
lo, id est carnis sensui quàm verbo  
Dei; at in homine Christiano & spiri-  
tuali sola regula judicandi est certi-  
tudo credendi. (a) Nobis curiositate  
non opus est post Christum IESUM, nec  
inquisitione post Evangelium; cu-  
riositas reum efficit peritum. (b) Qui  
fidem quærit, rationem non quærit,  
considera quod voceris fidelis non ra-  
tionalis, & accepto baptismo, hoc di-  
cimus fidelis est) quid ergo noxia cu-  
riositate mysteria discutis, prius vo-  
lens intelligere ordine præpostero

L

quàm

(a) Tert. S. Zeno. (b) Chrysol. Aug. ser.  
de Trin. 2, 37. de temp.



quàm credere? *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* (c) Quid Athenis, & Jerofolymis, quid Academiae & Ecclesiae? nostra institutio de porticu Salomonis est, quæ monet Deum in simplicitate cordis quærendum.) (d) Cum simplicibus enim sermocinatio ejus: Et si oculus fidei tuæ, oculus Christianus fuerit simplex, totum corpus operum tuorum lucidum erit, non tenebris erroris, vel tortuosæ intentionis ambagibus obscurum: & sicut lucerna fulgoris fides illuminabit te. Quare dic hæretico, dic curioso, dic suggerenti fidemque tuam tentanti Dæmoni, qui maximi sunt hujus ætatis tyranni & persecutores, tu disputa, ego mirer, tu inquire, ego credam.) (e) Non est fides nostra superborum, sed humilium. Inclinate aurem vestram, inquit propheta, in verba oris mei. Ille piè attendit legem Dei & verbae-

jus,

(c) Ps. 110. (d) Tert. de pres. (e) Aug. adv. serm. 63, de verb. Dom.



jus, cujus aures inclinat humilitas,  
non cujus cervicem erigit superbia.  
Quod enim infunditur, concavo hu-  
militatis excipitur, eminentia tumo-  
tis expellitur. Denique Christi vox  
est. (f) *Quomodo potestis credere, qui glo-  
riam ab invicem accipitis?* Magna sanè  
humilitas Fides, quam velut humanæ  
mentis tributum exigit supremus spi-  
rituum dominator, uti judicium no-  
strum liberi nempe arbitrii quo uno  
gloriamur arcem, ultimumque amo-  
ris proprii perfugium, fidei spontaneæ  
captivitate dedamus illi, subdamusq;  
ad verbum ejus. Hoc porro tributum  
soli Deo debemus, eoque gloriosius  
Deo quia soli debitum: quis enim  
mortalium exigere valeat, ut dicenti  
sibi sine fictione credatur? Atqui hoc  
Deus non suo dumtaxat jure, sed me-  
rito etiam nostro exigit in compen-  
sationem acceptæ à nobis injuriæ, ut  
qui per stultam credulitatem serpen-

L 2

tino

(f) *Ioan. 5. ad Phariseos.*



tino astu delusi & excæcati prodidimus hosti iudicii nostri arcem, fideiq; tributum pendimus, restituamus hæc supremo legitimoque Domino per sapientem stultitiam cæca fidei simplicitate benè oculati. Cæterum cave hoc fidei tributum ad cuiusvis exactoris vocem exolvas: non debes illud homini, non Theologo, non Augustino, soli debes Deo per Ecclesiam exigenti. At in divortiis opinionum Ecclesiam distrahentium in partes, cui potius adhæresces? Petræ adhæresce, super quam fundata est Ecclesia, & adversus quam portæ inferi non prævalebunt. Quæ tandem illa? nil vera & Apostolica Ecclesia notius, posita est supra montem, & in vertice montium veluti Pharus naufragis conspicua, denique sedes Petri, ait B. August. in Psalmo contra partem Donati, ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Quæ porro certum est ac indubitatum ab hac  
pre-



proponi, credenda ea demum omnia,  
solaque certò credenda sunt.

§. 2.

**A**Tque hæc prima Christianæ simplicitatis elementa sunt: curandum verò præterea, ut ab illuminato fidei oculo humanæ sapientiæ fumus abscedat. Hac sapientia ficti, quales in omni professione, sunt velut Herodes, cuius persona hypocritæ designantur, dum fictè quærunt, invenire Dominum numquam merentur, dicunt enim & non faciunt, consentunt verbis se nosse Deum, factis autem negant. Quid verò isti, nisi chimæram somniant, dum Christianæ fidei simplicitatem cum humanæ sapientiæ subtilitate confœderare nituntur? Vulpes foveas habent, non Christus. Dura sed vera Herodis increpatio sic denunciata à Christo, dicite vulpi illi. Credere in Christum fides vocatur, difficile est, ut malè vivat qui benè credit, fides appellata est ab eo, quod

L 3

fit



fit, quod dicitur: duæ syllabæ sonant  
dum dicitur fides, prima syllaba est à  
facto, secunda à dicto: interroga ergo  
te, utrum credas, dicis, credo, fac quod  
dicis, & fides est,) cave linguam Chri-  
sto, cor dones Diabolo. Ad fictos hu-  
jusmodi pertinent quotquot mundi  
honestatem potius quàm Christi, mo-  
ribus suis inducunt, etiam illi, qui re-  
ligioso clericaliue habitu, & externo  
vitæ cultu mentem sæcularem ge-  
runt. Atqui corporis conversio si sola  
fuerit, nulla erit: forma siquidem con-  
versionis est ista, (a) non veritas, va-  
cuam virtute gerens speciem pieta-  
tis. Miser homo, qui totus pergens in  
ea, quæ foris sunt, & ignarus interio-  
rum suorum, putans aliquid se esse,  
cùm nihil sit, ipse se seducit: sicut aqua  
effusus sum, ait psalmista, in persona  
hominum hujuscemodi, & dispersa  
sunt omnia ossa mea, & alius quidam  
propheta: comederunt, inquit, alieni

ro-

(a) Bern. serm. 2. de Quadrages.



robur ejus & ignoravit, exteriorem  
quippe superficiem intuens, salva sibi  
omnia suspicatur, non sentiens ver-  
mem occultum, qui interiora corro-  
dit: manet tonsura, vestis necdum mu-  
tata est, jejuniorum regula custodi-  
tur, statutis psallitur horis, sed cor  
longè est à me, dicit Dominus. Atten-  
de o fide solerter quid diligas, quid  
metuas, undè gaudeas aut contriste-  
ris, & sub habitu religionis animum  
sæcularem, sub pannis conversionis  
invenies cor perversum) (b) humilis  
habitus, qui gestatur à talibus non  
sanctæ veritatis est meritum, sed pri-  
scæ vetustatis operculum veterem  
hominem non exuerunt, sed novo  
palliant) hic meritò quis Basilianum  
illud celebratissimum impegerit: O  
Syncretice & Senatorem exuisti, &  
monachum non fecisti. Mirum quan-  
topere Dominus Jesus ab hoc genere  
hypocritarum abhorruerit. Audi il-  
lum

L 4

(b) Bern. serm. 16. Cant.



lum vā terrificum in capita hypocri-  
tarum detonantem ? perpendo quo-  
modo herodem patrem fugiat, filium  
ejus Herodem alterum vulpem no-  
minet, exprobrans homini particulari  
vitium calliditatis, id quod mirere fa-  
ctum aliās fuisse à Christo numquam,  
qui usque adeò pepercit alienæ famæ,  
ut ne Judæ quidem quidquam palam  
objecerit. Quid quòd eandem vul-  
pem suo in palatio Christus ne verbu-  
lo quidem quantumvis rogatus dig-  
natur ; adeo fictos execratur simplex  
veritas. Ac meritò sanè, nam deride-  
tur ab Herode ac Herodianis. Justi  
simplicitas illuditur ut fatuus, inter-  
rogatiunculis captiosis facile irre-  
tiendus creditur, quasi mala, quæ  
cogitabant illi, ignoraret. Nimi-  
rum hoc ipsa est mundi sapientia, cor  
machinationibus tegere, sensum  
verbis velare, quæ falsa sunt, vera  
ostendere, quæ vera sunt, falsa de-  
monstrare, denique in speciem di-  
vina



vina obire, proximum diligere, re  
autem verâ nec obedire Deo, nec  
eum in spiritu & veritate adorare;  
proximum verò detractio, suspi-  
cione, intentionis odiosa interpreta-  
tione, & sexcentis malis at occultis  
artibus velut sinuosis colubri volumi-  
nibus circumveniendo illaqueare, cu-  
niculis ejus famam fortunamque suf-  
fodere. O Herodianos veste alba  
Christum induentes, verè illudentes!  
ô Judæo-Christianos litteram tenen-  
tes, spiritum non habentes! ô tortuo-  
sam Tartarei serpentis prudentiam.  
O excordem duplicordiam! ponite,  
(c) ô filii hujus sæculi ponite superci-  
lium Pharisaicum & hypocrisim, este  
simplices ut columbæ. Ne spiritu san-  
ctificati dolum habeant, in columba  
descendente super Christum demon-  
stratum est: ne simplicitas frigida re-  
maneat, in igne super discipulo signi-  
ficatum est: sunt enim qui dicuntur  
simplices & pigri sunt, vocantur sim-

(c) Aug.

L 5

pli-



plices, sunt autem segnes : non talis erat Stephanus plenus Spiritu sancto, simplex erat, quia nemini nocebat, fervens erat quia impios arguebat.) Este inquam simplices at ferventes, Este sanè & prudentes sicut serpentes, non sicut ille seductor Evangelicus (d) qui corporis periculo salvat caput, caput vestrum Christus est, Christi fides ac simplicitas, nolite temporalia præponere fidei vestræ, sed ea subditum læva sponsi erit sub capite vestro, & dextera eius amplectetur vos.) (e) Imitamini sapientes Magos quorum fidei, ac simplicitatis devotio nobis proponitur in exemplo. A regia civitate ubi quærendum regem, conjectabantur ad Bethlehem villam parvulam diriguntur, ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis infantulum, non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia, procidunt, vene-

(d) Aug. (e) Bern. Ser. I. Epiph.



venerantur ut regem, adorant ut Deum. Quid facitis ô Magi, quid facitis? lactentem puerum adoratis in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergo ne Deus est iste? Deus certe in templo sancto suo, in coelo sedes ejus; & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio? quid facitis quod & aurum offertis? Ergo Rex est ipse? & ubi aula regia? ubi thronus? ubi curiæ regalis frequentia? nunquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph & Maria? Quomodo ita insipientes facti sicut viri sapientes, ut adorent parvulum despicabilem, tam sua ætate quam paupertate suorum? insipientes facti sunt ut fierent sapientes & prædocuit eos spiritus, quod postea prædicavit Apostolus, qui vult sapiens esse stultus fiat, ut sit sapiens; quia enim per sapientiam mundus in sapientiâ sua Deum cognoscere non poterat, placuit per stultitiam prædicationis salvos fieri



credentes.) Ac videte quàm sapientes facti sunt isti insipientes. Herodis callidam sapientiam fallunt monitu, Angelinon reversi ad Herodem, sed per aliam viam redeunt in regionem suam. Vos ergo similiter ô prudentes sæculi, sic stulti estote ut sitis sapientes, & simplicitatis Evangelicæ & Angelicæ ductu in patriam cœlestem reversi Herodem tartareum astutum serpentem ludificabitis.

## CAPUT III.

*Christiformitas cum Puero Iesu in puritate.*

§. I.

**S**I pueri à puritate dicti sunt, quid Puero Iesu purius, seu corporis munditiem spectes seu cordis? (a) Neque enim peccatum commisit, neque contraxit. Quod ipse non fecerit, ætas manifestat, quod non contraxerit multo certius probat Patris divinitas, integritas matris. Summus sacerdos est, quem nec super patre, nec super

(a) *Bern. Ser. I. Circ.*



super matre contaminandum propheta-  
tum est, in uno potius quàm manda-  
tum. Est enim illi pater ab æterno, sed  
Deus est in quem peccatum non ca-  
dit, est & mater extempore sed virgo,  
nec potuit parere corruptio corru-  
ptelam.) Ac puritas quidem carnis  
quam chara Christo sit, vel hinc disce.  
Illius Pater foeminam nescit, Mater  
virgo est, virgo nutritius, virgo præ-  
cursor, virgo discipulus præ cæteris  
dilectus, (b) *Adducentur virgines post  
eam.* Ecquam Christi scilicet carnem  
illa sequuntur agnum quocumque ie-  
rit, casti denique seminator consilii  
verbo suasit, persuasit exemplo casti-  
tatem. Quanta sanctitate consecravit  
in se carnem nostram sponsam suam,  
quanta gloria cumulavit! Quo altius  
eam attollere Deus non habuit: Ipsa  
Incarnatio carnis dedicatio, ac taber-  
naculi sanctificatio est; non carnis au-  
tem Christi dumtaxat, sed etiam no-  
stræ ob affinitatem naturæ, imò ob

(b) Ps 44.

L 7

uni-



unitatem. Præterea caro nostra de carne Christi vescitur, & ad gloriam resurrectionis hoc immortalitatis germine conditur. (c) Quid quod creator universitatis, qui pro animabus justificandis humilis venit & occultus, veniet sublimis & manifestus non jam in infirmitate, sed in gloria & maiestate sua pro te glorificanda ô misera caro. (d) Nescitis ô carnales, quia corpora vestra membra sunt Christi? Tollēs ergo membra Christi facies membra meretricis ac turpissimæ libidinis instrumenta? (e) Absit. Si Dñus noster Iesus Christus tantummodo animam humanam susciperet, mēbra ejus non essent nisi animæ nostræ: quia verò & corpus suscepit, per quod etiam caput est nobis qui ex anima & corpore constamus, profectò illius membra sunt & corpora nostra. Si ergo unusquisq; cupiens fornicari, aut aliqua turpitudine fœda-

(c) Bern. Ser. 6. de Adv. (d) 1. Cor. 6.

(e) Aug. Ser. 18. de Verb. Ap.



dari, vilescat sibi, & in seipso contem-  
nat seipsum, saltem non in se contem-  
nat Christum, non dicat, faciam, nihil  
sum, omnis caro fœnum. Sed corpus  
tuum membrum est Christi. Quò ibas?  
quid moliebare? redi, quò te tandem  
præcipitare cupiebas? Parce in te  
Christo, agnosce in te Christum. Qua-  
lis autem ille Dominus, qui servos  
suos fecit fratres suos? sed parum erat  
fratres suos, nisi faceret membra sua.  
Itane tanta dignitas viluit? quia tam  
benignè præstita est, non honor ei re-  
tribuitur? Si non præstaretur, deside-  
raretur: quia præstita est contemni-  
tur. Hæc autem corpora nostra quæ  
dicit Apostolus membra esse Christi,  
quod ex genere corporis nostri susce-  
pit, dicit idem templum esse in nobis  
Spiritus sancti, quem habemus a Deo.  
Propter corpus Christi, corpora no-  
stra membra sunt Christi, propter in-  
habitantem spiritum Christi, corpo-  
ra nostra sunt templum Spiritus san-  
cti.



eti. Quid horum in te contemnis?  
Christum, cuius membrum es? an spi-  
ritum sanctum, cuius templum es? (f)  
*Si quis violaverit templum Dei disperdet,*  
(bis perdet in tempore & in æterni-  
tate) *illum Deus.* Quocumque ieris ubi-  
cumque te absconderis, Jesus videt te  
qui fecit te, & perditum redemit te,  
& pro mortuo mortuus est pro te. Tu  
te non cognoscis, sed ille à te oculos  
non avertit, non ad adjuvandum, sed  
ad puniendum.) (g) O homo in carne  
tibi exhibetur sapientia illa quondam  
occulta, ecce jam trahitur de occul-  
tis, & ipsis se se ingerit sensibus carnis  
tuæ, carnaliter, ut ita dixerim, prædi-  
catur tibi, fuge voluptatem, quia pro-  
posita est mors secus introitum dele-  
ctationis, age pœnitentiam, quia per  
hanc appropinquat regnum Dei. Hoc  
tibi prædicat stabulum, hoc præsepe  
clamat, hoc membra illa infantilia  
manifestè loquuntur, hoc lacrymæ &  
vagi-

(f) 1. Cor. 3. (g) Bern. Ser. 3. de Nativ.



vagitus evangelizant, fuge ad hoc  
præsepe quisquis telis nequissimi ig-  
neis impeti te sentis. Vide tremulum  
infantem, audi vagientem, osculare  
tui amantem, admirare Jobum no-  
vum in sterquilinio, Jesum in stabulo,  
audeo polliceri vel ad ipsam recorda-  
tionem fugiet hostis, si tamen hostem  
credis. Urget acrius? perge aspice  
puerum ibi pro te circumcislam, &  
cruore manantem, ubi concupiscen-  
tiæ in te venenum sævit, ac violentius  
malignatur. Ad hunc cruorem infan-  
tuli causâ tuâ, tam dira patientis dele-  
ctationes turpissimas admittere, vel  
querere non erubesces? Quod si mo-  
dicus circumcisionis cruor ebullientis  
sanguinis tui furias non sistit, nec in-  
cendium restinguere sufficit, proripe  
te cogitatione in Calvariæ montem,  
arripe crucem, aspice flagellis exara-  
tum, (h) spinis coronatum, clavis, ac  
lanceâ transfossam nulla non sui par-  
te

(h) Bern. Epist. ad Hugon. novit.



te sanguinolentum intueri , & fuge non tam vulnera quàm ubera crucifixi. Ipse tibi erit in matrem, & tu eris ei in filium , nec pariter crucifixum lædere aliquatenus poterunt clavi, quin per manus ejus & pedes ad tuos usque perveniant.) Ad hoc denique tam triste, tam atrox spectaculum lascivire caro desinet. Ad extremum memento æternum esse quod cruciat, momentaneum quod delectat , erit aliquando cùm fixæ libidines in proprio adipe ad ignem sempiternum ebullient. Utinam tria verba voluptatum tergo potius , quàm fronti inscripta sæpe legeres ! Atque utinam illa ipsa Jesus infans & vir dolorum ferreo stylo clavi unius proprio adhuc cruore stillantis altissimè in penitissimis mentis tuæ medullis insculperet ! quænam illa ? Voluptates mentiuntur, moriuntur, in mortem trahunt. (i) Hoc nihil verius quotidiano expe-

(i) *Aug. Epist. ad Lucil. Ps. 139.*



experimento cernitur, hoc nihil minus creditur. Sic sunt voluptates ut spinæ, quæ non pungunt in radicibus, tamen illud unde dolorem sentis in superñcie, de illâ radice processit. (k) Esto sicut lilium inter spinas, sepi aures tuas & aliis spinis, corrumpunt bonos mores colloquia mala: sepi aures tuas spinis, ut ille qui importunè intrare ausus fuerit, non solum repellatur, sed etiam compungatur, sic lilii tui candorem servabis: sed & memento quòd sicut lilium lachryma sua feritur, ita carnis mundities precibus armatis, pœnitentiæ fletu ac humili obedientia impetratur. Est Christus flos campi, & lilium convallium: est & castitas flos campi certaminis, & lilium convallium humilitatis.

Beati mites ait Dominus Jesus, quoniam ipsi possidebunt terram. Hanc ego terram corpus nostrum intelligo, quod si possidere vult anima, si regnare de-

(k) *Aug. de discip. Christ. c. 9.*



re desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis & superiori suo subiecta, quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus, quàm oporteat superioribus potestatibus esse subiectam. Mansuescat ipsa & humilietur sub potenti manu Dei altissimi, subiecta sit Deo & his pariter, quibus vile ejus habet obedire prælatis, & continuo inveniet corpus suum obediens & subiectum. Quàm multi usque hodie factum Adam graviter dijudicant, & tamen insipienter imitantur? Indignantur quòd obedierit voci uxoris suæ plus quam Dei, & ipsi quotidie Evam suam carnem videlicet audiunt plusquam Deum. Si modò præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor  
ejus



ejus coarctari inter precem uxoris & præceptum Creatoris, nonne clamareremus adversus illum dicentes: Cave tibi miser, vide ne feceris, seducta est mulier non acquiescas ei. Ut quid ergo quoties apprehendit nos tentatio, similis non persuademus similiter nobis ipsis! ) Caput mulieris vir, ratio carnis dominatrix, non regnet peccatum in mortali nostro corpore, sed exhibeamus membra nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, *ut ne immunditia quidem nominetur in nobis.*

## §. 2.

**A** Puritate carnis ad munditiam cordis gradus est. Christus Jesus singulari modo odit iniquitatem. Vel ad figuram sui rubum igne inessum (carnem Verbo ignitam) prohibet Deus accedere Moysen, nisi positus prius calceamentis luto sordidatis. Nimirum ipse est semen illud mulieris, quod inter ac serpentem posuit  
Deus



Deus inimicitias, quodque conteret caput illius. Agnus est, qui tollit peccata mundi, novus Adam veteris peccatoris adversarius. Sanctus est, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, gratia per ipsum facta est cum qua peccatum stare nequit. Denique venit in mundum factor mundi, de immundo ut faceret mundum, & mundus eum non cognovit, nondum natum ad stabulum amandavit, natum ad labores, ad opprobria, ad crucem damnatum crudelissimè contrucidavit. Ut aliud nihil esset, cur peccatum odisse oporteret: tamen hoc omni execratione dignum redderet, quòd authorem vitæ interfecit. Attritus est Jesus propter scelera nostra, neque verò pepercit peccatum saltem levissimum, ne quidem verbum otiosum, sed carnificinam in eum diram exercuit. Quid enim? an venialia aliter abluipossunt, quàm sanguine Christi? sine sanguine non  
fit



fit remissio. Miserum me, qui toties  
peccatis meis contristo Dominum  
Redemptorem meum, & vulnero us-  
que ad sanguinem! Et quomodo eum  
amat, qui quotidie in eum tot armat  
carnifices, quot peccata etsi minima?  
minima verò quomodo sunt, quæ Dei-  
hominis sanguinem fundunt? imò  
quomodo amas, Domine JESU, torto-  
restuos? qui eos amare non cessas,  
quamvis contrate arma peccatorum  
venialium torquere non cessent? De-  
testaris illa nihilominus, adeoque se-  
verissimè vindicas in amicos etiam  
leviter delinquentes, si mors in deli-  
cto eos interceperit: Qualem JESU  
bone vindictam non in hostes modò,  
sed in intimos etiam tuos exerces re-  
pellens dilectorum animas à facie  
tua! & in igne purganti detentas tor-  
quere suspendio spei suæ, ac æstuan-  
tium saltem desideriorum gehennâ  
quasi torridâ face concremare, donec  
solverint usque ad novissimum qua-  
dran-



drantem. Nescio an mitissimo & amantissimo cordi Jesu evenire aliquid possit acerbius, quàm eò adigi æquissimâ justitiæ lege, ut in membra sua sic sæviat, non jam ad meritum & præmium, sed ad vindictam & penam. (a) Quanquam & pullos, quos fovet, sæpè in angustiis, sed non toto pedis pondere calcit mater, nec ideò desinit esse mater. O si quoties accedo immundus ad lavacrum sacrae confessionis, toties intelligerem lavari stolam meam in sanguine agni! alter Cainus sim, si Abelis fratris mei, quem occidi peccatis meis etiam levissimis, sanguinem clamantem audio, & siccis tamen oculis, pectore inconcusso maneo, si non saltem ingemisco, si non erubesco, si peccata mea non eradico, sed erado duntaxat. O quàm beati immaculati in lutosa sæculi via! fiat Domine Jesu cor meum immaculatum in justificationibus tuis,

(a) *Aug. hom. 24. ex 50.*



tuis , ut non confundar coram te in  
iudicio, sed mundus corde videam te.  
Infelix ego homo , quis me liberabit  
de corpore mortis hujus , de necessi-  
tate peccandi evertet me de gravi il-  
lo jugo , quod imposuit super nos  
Adam. Placebo perfectè Domino in  
regione vivorum, non in hac regione  
mortuorum.

## CAPUT IV.

*Christiformitas cum IESV abscondito, in  
silentio & solitudine.*

§. I.

**D**Um medium & altissimum silen-  
tium tenerent omnia, omnipo-  
tens sermo venit, sed infans. O Ver-  
bum diu infans ! filet in utero , filet  
in stabulo , filet in Ægypto , filet re-  
dux ab Ægypto , ubique filet, donec  
loqui præcipitur post annos triginta.  
Qui otiosum verbum dicere non po-  
terat, manet Verbum quasi otiosum :  
ô nihilominus officiosum & negotio-  
sum Verbum ! cum filet silentij lau-  
des,

M

des,



des, prædicat, & linguam nostram iniquitatis universitatem exemplo suo resonat. Eja Domine JESU, vel jam nunc loquere, ex quo Pater audiri te jussit intonans illud super aquas multas: Ipsum audite. Mirum, ne tunc quidem loqui cœpisse, sed ductum à spiritu in desertum siluisse, adeò silentij tenax loquacitatem nostram increpat. (a) Sed quousque files, quousque dissimulas, ô Verbum Patris, æterna Dei Panegyris. Quamdiu virtus & Dei sapientia quasi infirmus aliquis & insipiens lates in populo? quamdiu nobilis Rex, & Rex cœli abri filium te pateris appellari pariter & putari? Etenim Lucas Evangelista testatur: Quoniam adhuc filius Joseph putabatur. O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Parum a- quid scio, vel magis mihi scire viteor, & iam silere non possum, impuden-

(a) Bern. ser. i. Epiph.



denter me & imprudenter ingerens  
& ostentans promptulus ad loquen-  
dum, velox ad docendum, tardus ad  
audiendum. Et Christus cum tanto  
tempore filebat, cum seipsum abscon-  
debat, nunquid inanem gloriam me-  
tuebat? Quid timeret ab inani glo-  
ria, qui est vera gloria Patris? utique  
timebat, sed non sibi. Nobis timebat  
ab illa, quibus noverat esse timen-  
dum, nobis cavebat, nos instruebat.  
Tacebat ore, sed instruebat opere, &  
quod postea docuit verbo, jam doce-  
bat exemplo. Nam de infantia Do-  
mini parum aliquid audio, ex tunc  
jam usque ad tricesimum annum nil  
invenio.) Pone, Domine, exemplo  
tuo silentium, custodiam ori meo, &  
ostium circumstantiæ labijs meis; re-  
cedat à me garrulitas, insipientiæ cer-  
tum argumentum, detractionis janua,  
scurrilitatis dux, mendacij opifex,  
compunctionis desolatio, acedia au-  
thor, & curiositatis evocatrix, licen-



tiosæ cujusdam libertatis parens & indevotionis, malorum denique universitas. Porro si futuram agitas de verbis otiosis discussionem, non valde displicebit silentium.

## § 2.

**S**ilentij pacisque parens & custos solitudinis amor. Christus exegit totam ferè ætatem in solitudine procul à turbis. Vox ejus est (a): *Similis factus sum pellicano solitudinis, & factus sum sicut nycticorax in domicilio, sive in parietinis in ruinis Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Duxit charissimos suos seorsum, maxime cum transfiguratus est ante eos, & hæc denique clausula transfigurationis fuit, ut neminem viderent discipuli, nisi Jesum solum. O beatam cordis solitudinem, cum in solum Jesum aspectus mentis intenditur! Hoc uno vivebant contenti etiam exulantes in Ægypto, & peregrinantes Maria &

(a) Ps. 110.



& Joseph. Martha queritur, quòd relictà sit sola ministrare, & Christus ei solitudinem exprobrat, monetque in turba plurimorum turbari. Zacchæus voluit Jesum videre, at non poterat præ turba. (b) Humilis enim erat, turba superba erat, & ipsa turba ad videndum benè Dominum, sicut solet turba seipsam impediabat; ascendit à turba, & vidit Jesum non impediente turbâ. Turba enim dicit humilibus, humilitatis viam gradientibus, injurias suas Deo dimittentibus, vindictam de inimicis non requirentibus: turba insultat, & dicit: indefense, qui te non potes vindicare. Turba impedit, ne videatur Jesus, turba glorians & exultans quando potuerit se vindicare, impedit ne videatur ille, qui pendens ait: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Hunc ergò volens videre Zacchæus, in quo figurabatur persona

M 3

humi-

(b) Aug. ser. 8. de verb. Ap.



humiliū, non attendit turbam impediētem, sed ascendit sycomorum quasi fatui pomi lignum, crucem. Esto itaque cum paucis, o Christiformitatis amator, procul à turba & hominum, & negotiorum angustam viam insiste, per quam ingrediuntur pauci; non latam illam, quæ ducit multos ad perditionem. Noli attendere quæ turmatim itur, sed quæ eundum est. Quoties inter homines fuisti, minor homo redisti: toties melior fueris, quoties tecum tacitus habitaveris: quod si malus tu cum malo te melior sis, quid si cum Homine-Deo solus cum solo in solitudine saltem interiori cordis vivere assuescas? evades brevi homine major homo, ac si fas dicere, Deus homo. Sed fugimus plerumque ut Adam reus, & fratricida Cain à facie Domini, fugimus à nobis ipsis toti foras effusi in vana & noxia, sicut ij, quibus domi malè est, cum rixosa conjugē, nempe conscientia nostræ que-



PARS SEPTIMA  
querulis clamoribus , propriæque  
turpitudinis aspectu exterriti fugi-  
mus ad turbas. Et ubi sumus quando  
nec Jesu, nec nobis præsentem sumus?  
Duc, ô Domine Jesu, animam meam  
tecum in solitudinem, & loquere ei  
ad cor, ut neminem in omnibus vi-  
deat, nisi solum JESUM.

## CAPUT V.

*Christiformitas cum IESU abscondi-  
to in Oratione.*

§. I.

QUanam fuit maxima Jesu infan-  
tis in utero, quæ pueri, quæ ado-  
lescentis, ac juvenis, quæ tot annos  
absconditi occupatio? fallor si ma-  
jor ulla fuit, quàm oratio. Vacabat  
& videbat, quoniam suavis est Domi-  
nus. In templo corporis sui quid fa-  
ceret anima sanctissima? orationem  
suam in sinu suo ad Verbum, ad Pa-  
trem converteret. Domus ejus corpus  
ejus, domus orationis. An hoc ipsum  
significavit, quod in templo rema-

M 7

nens



nens dixit: in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Quomodo zelabat orationem, quem zelus domûs orationis comedit, & (quod aliàs contingit nunquam) mitissimum flagello armavit. Fractus diurnis negotijs pernoctabat in oratione Dei, factus in agonia prolixius oravit, etiam pro transgressoribus in cruce rogavit: Nimirum semper oravit, & nunquam defecit, ac ne momento quidem seu vigil, seu dormiens in victum ab oratione animum relaxavit. Quanto opere illam nobis commendatam voluit, ad quam continuo exemplo, adhortatione crebrâ, dictato etiam orandi modo nos informavit? Hanc scilicet nobis patrimonij loco reliquit thesaurorum divinatorum clavim, ut quod est imbecillibus pullis ac infantibus clamorosa vox, hoc sit nobis semper infirmis egenisque oratio, ad invocandam parentem optimam Dei providentiam. Esto nobis perpetua divini auxi-



auxilii necessitas, ut perpetua sit oratio. Magnum planè beneficium, magna illa necessitas, qua compellimur mendici Dei continenter accedere ad Deum & illuminari, ipsoque accessu ad summum bonum nostrum perfici. Aurea catena illa necessitas, qua nos Deus sibi devinctos tenet, ne recedamus ab illo, recessuq; ipso deficiamus. Duplex cordis Christi formis motus ad Deum oratio, qua spiritum attrahendo respirat, & gratiarum actio qua spiritum auctori suo remittendo aspirat. Oratio denique cor levat in cœlum ne putrescat in terra. Quocumque se illud converterit, in terrenis rebus amaritudinem invenit: unde dulcescat non habet, nisi orando lever se ad Deum, quoniam tu Domine suavis & mitis. Verum ô miseriam cordis humani! sic aggravatur pondere terrenæ inhabitationis, ut vix possit in cœlum assurgere. (a) Ad ipsum Deum cogi-

M 5

tan-

(a) Aug. Psal. 102.



tandum sicut dignum est ab homine cogitari Deum quanta impediunt? quanta revocant, quanta à sublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantasmatum? qui populi suggestionum? totum hoc in corde humano tanquam de vermibus huius corruptionis scatet.) (b) Attendat quisq; quanta aguntur in corde humano, & quemadmodum ipsæ plerumque orationes impediuntur vanis cogitationibus, ita, ut vix stet cor ad Deum suum: vult se tenere ut stet, & quodammodo fugit à se, nec invenit cancellos quibus se includat aut obices, quibus retineat avolationes suas & vagos quosdam motus, & stet jucundari à Deo suo. Vix est ut occurrat stabilis oratio inter multas orationes. diceret unusquisq; contingere sibi & alteri non contingere, nisi inveniremus in scripturis Dei David orantem quodā in loco & dicentem:

Quo-



Quoniam inveni Dñe cor meum ut orare ad te. Invenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posse comprehendere & clamare ad Dominum. Quoniam cor meum dereliquit me. Sed tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te. Patitur mitis ista nostra, & expectat tamen à nobis orationem ut perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit gratè & exaudit, nec meminit tantas, quas inconditè fundimus, & accipit unam, quam vix invenimus. Quis enim est homo, cum quo si amicus ejus cœperit colloqui, & noluerit ille respondere colloquutioni ejus, & iste viderit eum averti à se, & aliud loqui ad alium, quis est qui hoc ferat? Aut si fortè interpelles judicem, & constituas eum loco ut te audiat, & subito cum ad eum loqueris, dimittas eum, & incipias fabulari cum amico tuo. quando te tolerat? Et



tamen tolerat Deus tot corda precantium & diversas interim res cogitantium, omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando perversas & inimicas Deo, nam ipsas superfluas cogitare, injuria est ejus, cum quo loqui coeperis. Oratio tua locutio est ad Deum. Quando legis Deus tibi loquitur, quando oras, cum Deo loqueris. Quotiescumque ante me stetisti (puta Deum dicere) tanta vana & superflua cogitasti. Quid tu ad ista aliud respondeas, nisi quia tu suavis es Domine ac mitis? Mitis es tolerans me, ex agitudine defluo, cura & stabo, confirma & firmus ero, donec autem facias, toleras me, quia tu suavis es Domine & mitis, & multum misericors. Non enim solum misericors, sed & multum misericors. Abundat enim iniquitas nostra, abundat & tua misericordia.



## §. 2.

**A**T multum misericors quidem es, sed invocantibus te. (a) Ecquid invocas o anima? Invocas quicquid amas, invocas quicquid in te vocas, invocas quicquid vis ut veniat ad te. Porro si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hereditas, ut veniat ad te secularis dignitas, illa invocas quæ vis ut veniant ad te: sed Deum tibi adiutorem ponis cupiditatum, non exauditorem desideriorum. Deus bonus est, si det quod vis. quid si malè vis? nonne erit tibi magis non dando misericors? Exauditur diabolus petens ire in porcos & Jobum tentare, non exauditur Apostolus, petens ut Angelus sathanæ recederet à se; exaudivit Deus, quem disponebat damnare, & non exaudivit eum quem volebat sanare. Nam æger petit multa à medico, non dat medicus, non exaudit ad voluntatem,

M 7

ut

(a) *Ibid.*



ut exaudiat ad sanitatem. Ergo medicum tuum pone Deum, pete ab illo salutem, & salus tua ipse erit: invoca Deum tanquam Deum, ama Deum tanquam Deum, illo nihil melius est, ipsum desidera, ipsum concupisce. Si verè Deum invocasti, certus esto, quia id fortè quod volebas temporaliter ideo non dedit, quia non tibi proderat. Nos nescimus quid oremus, sicut oportet, orat pro nobis spiritus Christi, & postulat cum gemitibus inenarrabilibus. Sit ipse nobis templum Dominus Jesus, petamus in nomine ejus, petamus ipsum. Sic oratio mea in sinu meo convertetur, cum in humanitate Christi, quæ veluti sinus maternus nobis admittendis patet precabor, quasi proximum, ut quasi fratrem nostrum sic complacebam de Christo meditando, Christum orans. Hæc mihi erit unio velut hypostatica oratio commerciumque continuum cum Christo Jesu. Hæc animam meam levabit ad  
Do-



Dominum, ut mente quoad poterit ei  
adhærescat sin continenter, at crebris  
certè ignitisque oratiuncularum evi-  
brationibus, perpetua verò prece  
operosa quæ in ipsa operatione ex u-  
nius Dei nutu desiderioque suscepta  
consistit, ut vel sic saltem sine inter-  
missione orem. Ita denique gloriam  
Domini cogitatione ac opere specu-  
lantes transformabimur, Christi for-  
mabimur à claritate in claritatem,  
tanquam à Domini spiritu animati.

## CAPUT VI.

*Christiformitas cum Iesu abscondito  
in Obedientia.*

## S. I.

**S**i ratione duce sinerent parvuli ita  
se duci tractarique, ut quotidie  
matris ad nutum reguntur, versantur  
in omnem partem, fasciis stringuntur,  
lactantur, næ illi Obedientiæ laude  
excellerent: atqui Christus Jesus pru-  
dens sciensque, licet infans infanti-  
lem istam tractabilitatem habuit, Pa-  
tri



tri quidem factus obediens usque ad mortem crucis, & quæ placita sunt ei faciens semper, subditus verò parentibus, subditus postremo Herodi, quali monstro! etiã terroribus & Pilato obtraditam ei & Deo, per Tiberiũ Imperatorem scelestissimum auctoritatem. O admirabilem obediendi formam! Deus homo obedit Deo & homini, ut inobediens homo discat obedire Deo, tum homini propter Deum. (a) Promerendi siquidem Dominum virtus est obedientia, quàm possum verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate, primumque esse vitium tumoris ad ruinã suã potestate velle uti, cuius vitii nomen est inobedientia. (b) Filius minor qui voluit in sua potestate substantiam suam, quæ illi apud patrem optimè servabatur: factus suæ potestatis profectus est in regionem longinquam, hæsit principi malo,

(a) Aug. Gen. lib. I. c. 6. (b) Id. Ps. 70.



malo, porcos pavit, fame correctus est, qui saturitate superbus abscesserat. Ergo quisquis ita vult esse similis Deo ut ad illum stet, subjiciat illi animam suam, non ab illo recedat, ei cohaerendo per debitam obedientiam signetur tanquam ex annulo cera, illi affixus habeat imaginem ejus. Si autem perversè voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet à quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti, quid restat nisi ut recedens ab ejus calore torpescat, recedens à veritate vanescat, recedens ab eo quod summè atque incomparabiliter est, in deterius mutatus deficiat? Hoc diabolus fecit, imitari Deum voluit sed perversè, non esse sub illius potestate, sed habere contra illum potestatem. (c) Non solum voluit esse similis altissimo, sed etiam ipse & omnis superbus extollitur supra omne quod creditur, aut quod colitur Deus.

Vult

(c) Bern. Ser. 4. vigil. Nat.



Vult enim Deus fieri voluntatē suam,  
dæmon & superbus vult fieri suam.  
Jam videtur æqualitas, sed attende  
male congruam proportionem; Deus  
quidem in his tantum quæ ratio ap-  
probat, suā vult fieri voluntatem; dæ-  
mon verò & superbus, & cum ratione  
& contra rationem Homo autem po-  
situs sub præcepto audivit à Domino  
Deo. Noli tangere. Quid? hanc ar-  
borem. (d) Si bona est, quare non  
tango? si mala est, quid facit in para-  
diso? quia bona est, sed nolo tangas.  
Quare non tango? quia obedientem  
te volo non contradicentem servum:  
Serve, audi prius Domini jussum, &  
tunc jubentis disce consilium. Bona  
est arbor, nolo tangas, quare? quia  
Dominus sum, tu servus. Hæc tota  
causa est. Quomodo eris sub Domino,  
nisi fueris sub præcepto? Non potuit  
Deus perfectius demonstrare, quan-  
tum sit bonum obedientiæ, nisi cum  
prohi-

(d) *Aug. ubi suprâ.*



prohibuit ab ea re, quæ non erat mala:  
Sola ibi obedientia tenet palmam,  
sola ibi inobedientia invenit pœnam.  
Bonum est nolo tangas, bonum est, sed  
obedientia melior est. Proinde cum  
tetigeris numquid arbor illa malum  
erit, ut moriaris, sed inobedientia te  
subjecit morti, quia prohibita tetigi-  
sti.) Subditus itaque esto Domino, nec  
mortali, nec veniali, quoad poteris  
admisso peccato, quæque sunt ei pla-  
cita, etiam si non præceperit, facito  
semper.

## §. 2.

**N**Ec Deo solum, sed etiam homini  
propter Deum debetur Obedien-  
tia, ac justo planè iudicio: ut qui Deo  
subjici noluit homo, subjiciatur et-  
iam homini, imposuisti homines su-  
per capita nostra. (a) Nec dedignan-  
dum servo quod præcessit in Domino.  
Siquidem non est servus major Domi-  
no suo. Ille enim cum jam crevisset  
ætate

(a) Bern. ser. 3. de Circ. & ser. 19. Cant.



ætate & sapientia, & gratia apud Deum & homines, cum jam duodecim annorum esset & remansisset in Hierusalem, & dixisset in his quæ patris sui erant oportere se esse: Non acquiescentibus parentibus ejus, sequi illos in Nazareth non despexit magister discipulos, Deus homines, Verbum & sapientia fabrum & foeminam. Quid? etiam addit sacra historia: Et erat, inquit, subditus illis. Quousque sapiens eris in oculis tuis? Deus se mortalibus credit & subdit, & tu in viis tuis adhuc ambulabis? O vos qui vestri curam semel superioribus credidistis, quid rursus de vobis vos intromittitis? ) (b) Quàm pauci inveniuntur in hac perfecta obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit omni hora, requirant cum Saulo dicentes sine intermissione

(b) *Idem Ser. I. in convers. S. Pauli.*



missione: (c) Domine quid me vis facere:  
& illud Samuelis, loquere Domine  
quia audis servus tuus. Heu plures ha-  
bemus Evangelici illius cæci, quàm  
novi Apostoli imitatores! quid vis, ait  
Dominus ad cæcum illum, ut faciam  
tibi? quanta est misratio tua Domine  
quanta dignatio tua! sicine Domi-  
nus servi quærit ut faciat voluntatem?  
verè cæcus ille quia non consideravit,  
non expavit, non exclamavit, absit  
hoc Domine, tu magis dic quid me  
facere velis, sic enim decet, sic omni-  
no dignum est non meam à te, sed à  
me tuam quæri & fieri voluntatem.  
Sic profecto, sic multorum usque ho-  
die pusillanimitas & perversitas exi-  
git, ut ab eis quæri oporteat, quid vis  
ut faciam tibi, non ipsi quærant Do-  
mine quid me vis facere, sed occultè  
vel apertè satagentes, ut quod habent  
in mente hoc eis spiritualis Pater in-  
jungat, religiosæ petitionis obtentu  
imperent potius prælatis suis, quam

(c) Act. Reg.

impe-



impetrent precibus armatis quod lubet extorquentes. Considerare necesse habet minister & vicarius Christi, quid sibi præcipi velint, non ipsi considerant quæ sit voluntas præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Quique ne perderet obedientiam perdidit vitam. Discernunt & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imò in quibus præceptorem suum, ipsorum obedire necesse sit voluntati. Hujusmodi etsi tolerari se videant & condescendi timeant, ne ab utentibus patientia & benignitate Prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis, cumulus justæ damnationis.) (d) Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista, & erat

(d) Bern. hom. I. Missus est.



erat, inquit, subditus illis, haud dubium quin Mariæ & Joseph. Erubescere superbe cinis, Deus se humiliat, & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tu te præponis auctori? utinam mihi aliquando tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod & suo increpando respondit Apostolo: Vade, inquit, post me Sathana, quia non sapias ea quæ Dei sunt. Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est, & erat subditus illis. Si hominis o homo imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum sequi auctorem tuum.) Væ illis qui præsunt, si non profunt, projecti sunt, non provecti, non præeunt, sed pereunt. Dicite obedienti quoniam bene. In voluntate superiorum hoc est Dei, sicut in pace in idipsum dormiat, & requiescat.

(e) Sed



(e) Sed jam tibi in ipsa obedientia via aliqua fortassis dura, & aspera occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ licet salubria sint, minus tamen suavia videantur. Hæc si moleste cœperis sustinere, si judicare Prælatum, si murmurare in corde, etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est hæc virtus patientia, sed velamentum malitiæ. Dic animæ tuæ: veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea: necessaria est patientia, per quam omnia dura & aspera tacita amplectaris conscientia, te magis dijudicans & durius arguens, cui nimirum displicent, quæ ad salutem sunt: & in cogitatione tua semper partem magistri, quoad potes adversus te metipsum juvans: teque in omnibus accusare, ipsum verò magis excusare laborans.) Magnum est omnino sic vincere semetipsum, ac talis obedientia

(e) *Idem Ser. 3. de Circ.*



tia melior est, quàm victimæ. Ipsa est octava dies coronam virtutum absolvens, sicut octava dies eadem cum principio hebdomadis per motum circularem recurrens velut coronam erotundat: in ea circumciditur puer, & nomen Jesu imponitur: circumcidit enim, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter, quàm imperatum sit, fiat, & nomen veri imitatoris Jesu communicat. At enim dyscoli fortè imperant Principes, Magistratus, Prælati. Etiam Dominis dyscolis sicut Christo in simplicitate cordis obedire servi præcipiuntur ab Apostolo, quanto magis ingenui ac voluntarij ex voto servi? Christus agnovit Patrem in Herode, in Pilato, in tortoribus, & illis obedivit ut Patri: tu in Christianis Principibus & Magistratibus, in Ecclesiasticis ac Religiosis Prælatiis Christum agnoscere, Christo obsequi gravaberis? vide ne fatuè voluntariam corrumpas subjectionem, ac

N

VI



vitio tuo in turpem servitutem, & quæstuoso famulatu viliorē ac inutiliorē obedientia tua degeneret. Nihil meriti apud Deum acquirit, nihil de onere obediendi minuit, qui homini serviliter & ex timore obedit, non Christo ex amore imitandi. Porro qui murmurat adversus Prælatum, conspuat Christum, & qui non promptè ac hilariter obedit, non portat inter ubera fasciculum myrrhæ dilectum suum, sed velut scœnum stridula rota carri trahit JESUM.

§. 3.

**P**Atere, Religiose Lector, hinc tibi ad tantæ virtutis praxin proponi præclarum Religiosæ obedientiæ decalogum à magno obediendi Magistro P. N. S. Ignatio traditum Societati, cujus characterem præcipuum voluit esse obedientiam. Decalogum hunc solebat Ribadeneira eximius ille agiographus appellare testamentum B. P. N. Codicillum ego dixerim, si  
ad



ad auream illam epistolam de obedientia tribus ante annis ab eo scriptam compares. Is anno, qui supremum ejus vitæ præcessit, ut memorat Sacchinus histor. soc. l. 7. Cum doctum alioqui, ac strenuum sacerdotem, sed in rebus agendis suæ tenacem sententiæ, tandem indomabilem sociorum albo erasisset, advocato ad se P. Joa. viro, qui Polancum secretarium in scribendis epistolis adjuvabat. Ad esdum, inquit, testatum volo societati sit de obedientia quid mihi animo sederit, continuoque hæc dictavit Hispanicè: I. debeo omninò & in omnes partes coram Deo Domino nostro, coramque Præsidente meo resignatus esse. (Resignatio autem Religiosis viris est certa & liberalis voluntas, quâ inferiores omninò permittunt sese, & tradunt potestati arbitrioque regentium) II. Debeo optare ut ab eo Præsidente regar ac ducar, qui ad judicii mei & intelligentiæ ab-



negationem intentus sit. III. Debeo cunctis in rebus, unde peccatum absit, voluntatem ejusdem Præsidis, & non meam sequi. IV. Triplex est obediendi modus: unus, cum ex virtute obedientiæ jubeor, ac bonus est: alter, cum proponitur solum, ut agam hoc vel illud (hoc est, ita parata est voluntas ad obtemperandum, ut non expectet præceptum) isque est melior. Postremus, cum aliquid efficitur ex aliquo tantum signo cognitâ voluntate Præsidis, quamvis nec jubeat, nec proponat, isque est longè optimus, nempe ut qui obediendi alacritate nec imperij summi necessitatem, nec mandati denuntiationem expectat. V. Nullam debeo rationem habere, numqui mihi præest, maximus sit, an mediocris, an minimus: Verum mea omnis devotio obedientiæ esse debet propterea, quòd locum Dei tenet; nam ea distinctio obedientiæ vim perdit.

VI.



VI. Cùm opinione aut iudicio meo id quod Præses mihi injungit, contra conscientiam meam, aut peccatum videtur esse, & Præsidi contra videtur, debeo ei credere, ubi clara ratio non repugnat. Quod si id à me nequeo impetrare, certè debeo meo iudicio meâque sententiâ abdicatâ remittere iudicio ac deliberationi unius aut duorum, aut trium. Huc verò nisi perveniam, longè absum à perfectione & partibus ijs, quæ in homine reipsa religioso desiderantur. VII. Denique debeo non esse meus, sed ejus qui creavit me, & qui locum illius teneat, ut quemadmodum pilula ceræ duci se finit, ita ego tractari me ducique sinam vel in scribendis recipiendisque literis, vel in alloquendis hominibus his aut illis devotionem in eo, quod mihi mandatur, meam omnem reponens. VIII. Debeo habere me perinde ut cadaver, cui nec voluntas, nec intelligentia subest. Dein-

N 3

dè



dè velut parvula effigies Crucifixi, quæ sine ulla difficultate verti se quamcunque in partem finit. Postremò debeo me fingere quasi baculum in manu senis, quem ubi voluerit, & ubi commodum ei sit, ponat: ita debeo paratus esse, ut religioni usui sim, & obsequar quamcunque rem mihi mandaverit. IX. nec petere, nec rogare ex moderatore debeo, ut me in hæc vel illa mittat loca, ut huic alijve præficiat muneri; verùm cogitationes meas aut voluntates proponere, propositasque humi abjicere iudicio omni atque integrâ demandandi potestate relictâ moderatori, ut quod censuerit ille, quodque mandaverit, pro optimo iudicem atque habeam. X. Tamen in levibus ac bonis rebus licuerit veniam petere, ut stationes sacras obeundi, aut aliquid beneficij petendi, & quæ similia sunt, animo ita comparato, ut quod concessum negatumve fuerit, id præstare censeatur.

Ar-



Atque hactenus Decalogus; nam præceptum ultimum & undecimum spectat ad paupertatem. Hæc porro faciat qui in proximi salutem incumbit, & vir obediens loquetur victorias. Audiet illud Abrahamo dictum (a): *Quia obedisti voci meæ, faciam te ingentem magnam*, nempe Patrem credentium. Sic Indiarum Apostolus ingentem magnam factus creditur, quia promptissime obedivit voci mittentis eum S. Ignatij. Sic denique JESUS obediens Patri usque ad mortem, JESU, hoc est, Salvatoris nomen implevit.

(a) Gen. 12.

## CAPUT VII.

*Christiformitas cum IESU prædicante in Mansuetudine.*

**Q**UOD cœperat facere JESUS nascens, hoc cœpit perrexitque dicere prædicans. Quidnam illud? Discite à me, qui mitis sum & humilis corde. Quid mitius infante

N 4 Deo?



Deo ? Tunc apparuit humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei omnibus hominibus erudiens nos. Ad quid erudiens ? Discite à me quia mitis sum, etiam se mitem præponit humili sibi, prius mitem disci volens, quàm humilem. Ac humilem quidem jam vidimus cap. 2. nunc mitem videamus, admiremur, imitemur. (a) Apparuit in Christo humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei: apparuerat antè potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiae nunc maximè apparuit in humanitate miserationibus affluens, supereffluens charitate. Quid tu times, ô homo ? quid trepidas, à facie Domini quia venit ? Noli fugere, noli timere, non venit cum armis, non puniendum ut olim in paradiso Adam, sed salvandum requirit ; & ne fortè dicas : etiam nunc vocem tuam audi-  
vi,

(a) *Ber. ser. I. Nat.*



vi, & abscondime, ecce infans est & sine voce; nam vagientis vox magis miseranda est, quam timenda, aut si cui fortè terribilis, sed non tibi: parvulus factus est, tenera membra Virgo Mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Ex quo in nostra venit, facilis ad indulgentiam erit: denique parvulus est, leviter placari potest: quis enim nesciat quòd puer facile condonat? Et quomodo non esset clemens, cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diversorium. (b) Illi fons pietatis æterna est mansio, illi familiaris suavitas, illi substantialis vel potius consubstantialis bonitas est: illi ideò totum quod est, de Patre est, ut nil prorsus in regia maiestate, nisi paternum peccatorum trepidatio suspicetur. Sed ne infantem tantum fuisse mitem putes, totam ejus vitam percurrere, & ubique mitem, ac benignum invenies. Mox apparuit ad præ-

N 5

di-

(b) Ber. ser. 42. Cant.



dicandum, & columba super eum apparuit, spectante ac testante Joanne, quid & Agnum Dei palam prædica- vit. (c) Nec incongruè ad indicandum Agnum Dei venit columba, quia ni- hil melius agno convenit, quàm co- lumba: quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa mansue- tudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut agnus & columba? Nocere cuiquam nesciunt, lædere non noverunt. (d) Columba gemit ex amore, osculatur osculo pacis, non laniat ut corvi, de frugibus terræ vivit, innocens ejus victus est, quod verè mirandum est in columba: sunt passerres brevissimi, qui vel muscas occidunt, nihil horum columba; non enim de morte pasci- tur. Hoc symbolum mansuetudinis Christi, de quo prædictum est (e) quòd

Ca-

(c) *Ber ser. 1. Epiph.* (d) *Aug. tract. in Ioan.* (e) *Is. 42.*



*Calamum quassatum non conteret, nec li-  
num fumigans. Dicite, ait Spiritus non  
commotionis, sed auræ tenuis, & non  
jam ignis ante ipsum præcedentis, di-  
cite filie Sion animæ studiosæ Christi-  
formitatis: (f) Ecce Rex tuus venit tibi  
mansuetus. Regnavit enim à ligno cru-  
cis patiens, non à baculo timoris con-  
fringens. Unctus oleo benignitatis  
regnavit propter veritatem & man-  
suetudinem, specie suâ & pulchritu-  
dine suâ non dominatus majestate in-  
tendens ac procedens. Quid huma-  
nius homine-Deo cum hominibus  
conversante? Rudes discipulos per-  
indè cum eo ferè ut cum æquali agen-  
tes, & manibus suis etiam contrectan-  
tes, osculantes, convivantes, parum si-  
ne dubio memores ac reverentes tan-  
tæ majestatis, quanta mansuetudine  
tolerat.) non increpat identidem, non  
indignatur, denique non habet amari-  
tudinem conversatio, nec tadium convictus*

N 6

il-

(f) Matth. 21.



*illius.* Exierunt aliquando ipsimet discipuli cum vinculis tenere eum, dicentes; quia in furorem versus est, an excanduit? cum de passione sua locutus esset, continuo contentio orta est, quis videretur eorum esse maior; instruxit quidem, an etiam increpuit acerbius? corripuit certè zelo indignationis accensos, coeloque ignem evocare cogitantes adversus Samaritanos inhospitales, negans hunc esse spiritum suum. Imperant cæco clamanti ut taceat: ipse verò ad cæcum, quid vis ut faciam tibi, ô benignitas! abigunt parvulos; at ipse: finite parvulos venire ad me, eos blandè complectitur, ac tales esse discipulos admonet. O humanitatem! Peccatoribus autem quàm facilis ac propitius! Samaritanæ quàm affabilis hortator! Quàm benignus Magdalenæ advocatus & laudator! Quàm indulgens adulteræ iudex! Pastor bonus ovem perditam quærit, non deserit, inventam  
non



non verberat, sed humeris imponit, & gratulari sibi Angelos propterea iubet. Prodigum filium reuersum quantâ benignitate excipit? Rogatus quoties indulgendum fratri, quando in nos peccaverit: non septies tantum, sed usque ad septuagies septies, hoc est, sine numero dimittendum monet. Denique pertransiit benefaciendo & sanando omnes. Ultrò se obvium miseris ingessit, provocavit omnes ad petendum, invitavit sitientes ad potandum, laborantes ad reficiendum. Quid quoddam etiam latroni paradisum promisit ac dedit: Quid quoddam Judæ proditoriè osculanti non irascitur, sed Amice, inquit, ad quid venistis? Quid quoddam Judæis dæmonium habere illum convitiantibus nîl acerbius respondet? sed omninò tacet, ne tacitus altum sub pectore vulnus premere videatur: Ego, inquit *dæmonium non habeo*. Quid colaphum impingenti servo? *Si malè locutus sum, &c.* Quid fla-



304 CHRISTIFORMITAS,  
gellantibus, quid crucifigentibus?  
Cum pateretur, non comminabatur, tra-  
debat autem iudicanti se injustè, nec red-  
didit malum pro malo, nec maledictum pro  
maledicto; sed tanquam agnus mansuetus,  
qui portatur ad victimam, coram rudente  
se obmutuit: obmutuit autem? imo  
clamavit: Pater ignosce illis. Quid quòd  
gloriosus è cœlo Saulum quæsiuit, ac  
de persecutore fecit prædicatorem?  
Quot hodieque extant, quibus male-  
dicentibus benedicit, & benefacit ijs,  
qui oderunt illum gratis, nec pluit  
tantum super inimicos suos, solemque  
oriri facit, sed etiam sanguinis sui  
merita velut cruentum imbrem super  
eos ubertim effundit, licet illi retri-  
buant mala pro bonis, sterilitatem a-  
nimæ suæ. Potestne fingi aut excogi-  
tari mansuetudo maior? Merito igitur  
sponsa ei, tametsi masculo, tribuit  
ubera (g), eaque meliora vino prædi-  
cat. Merito canitur Patri (h): Memen-  
to

(g) Cant. 1. (h) Psal. 131.



to Domine David, Jesu scilicet Filij David, & omnis mansuetudinis ejus. Merito Paulus (i) obsecrat per mansuetudinem Christi. At enim sœvit interdum Christus in Phariseos & Scribas vœ ! crebrum ac horrificum detonans: in ementes ac vendentes in templo, flagellum exhibens: in Petrum, sathanam vocans: in Matrem, duriusculè mulierem compellans: in filios Zebedæi, quid peterent nescire exprobrans: in Chananaeam, canem appellans. Denique etiam convescens ante ascensum, exprobravit & increpavit duritias cordis discipulorum, qui euntes in Emaus, stultos & tardos corde ad credendum sugillavit. At sœvit interdum & columba, pugnatque pennis ac rostro, pro nido suo, sed sine felle sœvit: Et Salomon in throno stipatus leonibus sedet, sed eburneis leonibus. Etiam Jesus iratus misericordiæ recordatur. Increpat Phari-

(i) 2. Cor. 10.



risa os, sed ad medelam: Petrum durius appellat, sed erudit ad meritum: Matrem verbo non lædit consuetudinem reverentiæ & amoris, sed ut eam præparet miraculum in ejus gratiam factum. Noverat ille cui loqueretur. Et quis loqueretur illa non ignorabat. Denique ut scias quomodo responsum ipsum acceperit, aut quantum de Filij benignitate præsumpserit, ait ministris: Quæcunque præceperit vobis, servate, & facite. (k) Filios Zebedæi utrumque à dextris locat inter electos supra quàm ambiabant per matrem, imò Joannem supra pectus recumbentem portat. Chananaam laudat, & filiam sanat. Flagellum vix posuit, & jam clamat: Qui sitit veniat ad me, & bibat. Discipulos resurgens docet, & ascendens benedicit illis. Sic sævit mansuetudo, sic fervet non malignè, sed benignè benignè ignita, sydereo scilicet igne benigni-

(k) *Bern. serm. dom. i. post octa. Epiph.*



gnitas. Quid angusti pectoris homun-  
tiones excandescitis indignabundi,  
non zelo disciplinæ, ut fallentes vos-  
metipfos fortè creditis, sed typho su-  
perbiæ? Videte ne vos potius exaspe-  
ret contemptus vestri latens in cul-  
pa, unde ignescitis, quàm offensâ Dei.  
Quid si alius, quid si Deus pari vobis-  
cum zelo ageret? quid si tam distri-  
ctus foret operum vestrorum censor,  
exactor, & iudex? Nimis ignari estis  
infirmittatis humanæ ac vestræ, si mul-  
ta tolerare, indulgere, ac dissimulare  
nescitis. (l) *Erudimini qui iudicatis ter-  
ram.* (m) *Discite subditorum matres*  
*vos esse debere, non dominos: stude-*  
*te magis amari, quàm metui. Et si in-*  
*terdum severitate opus est, paterna*  
*sit, non tyrannica; matres fovendo,*  
*patres vos corripiendo exhibeatis.*  
*Mansuescite, ponite feritatem, sus-*  
*pendite verbera, producite ubera,*  
*pectora lacte pinguescant, non typho*  
*tur-*

(l) Ps. 52. (m) Bern. ser. 23. Cant.



turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans unusquisque seipsum, ne & ipse tentetur: alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem autem ejus, ait, de manu tua requiram. Estote sedato semper animo, quicquid acciderit: mel & lac sint sub lingua vestra: sint & favus distillans labia vestra. Si correptio necessaria est, memores estote illam esse pharmacum, quod nisi suavitate temperetur, merum est venenum. Nunquam sanabitur turbulentâ increpatione delinquens, sed irritabitur: fugite ergo laqueos venantium, & dæmonum vobis subicientium iracundiæ & impatientiæ faces, fugite à verbo aspero, sine felle



le se vite ad emendationem, cum opus est : *responsio mollis franget iram, & alienam, & vestram; mitissimus hominum Moyses, quem Deus in fide ac lenitate ipsius sanctum fecit, monstrum placavit in verbis suis. Talium est regere ac leges dare. Dulcis ipse ac rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget idem mansuetos in iudicio, ne conturbetur in via oculus eorum. Docebit mites vias suas, via autem Domini misericordia & veritas. Si mitissimi hominum Moyses ac David electi sunt ad regendum servos in lege timoris, quales decet esse qui regunt filios in lege gratiae, in regno charitatis. Pronuntiatum Domini IESU est: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, quam terram? Corda hominum: & corda possidentes quid non possident, succinit Psaltes: Mansueti hereditabunt terram.* (n) Illa terra Hierusalem sancta, liberabuntur de peregrinatione ista, & in æternum*

(n) Aug. Ps. 36. vi-



vivēt cum Deo, & de Deo: *Et quæ erunt divitiæ ipsorum? quæ delitiæ? delectabuntur in multitudine pacis. Delectetur hīc impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine mancipiorum, in multitudine postremo opum diversarum, vinolentiæ, lautissimorum & luxuriosorum conviviorum. Nonne etsi semper hæc haberet, plangendus esset? Quæ erunt autem divitiæ & delitiæ tuæ, o mansuete? multitudo pacis. Aurum tuum pax, argentum tuum pax; prædia tua pax, vita tua pax, Deus tuus pax. Quicquid desideras, pax tibi erit. Hic quod est aurum, non potest tibi esse argentum, quod vinum est, non potest tibi esse panis, quod tibi lux est, non potest esse potus: Deus tuus totum tibi erit: manducabis eum, ne esurias: bibes, ne sitias: illuminaberis ab eo, ne sis cæcus: fulciēris ab eo, ne deficias, possidebit te totum integrum & totus integer. Hæc est hæreditas mansue-*



fuertorum. (o) *Hæ sunt reliquæ hominibus*  
*pacifico.*) (p) Quid agit in homine pa-  
cifico pax mansuetudinis comes &  
fructus? quid agit adhuc in hujus re-  
gionis incertis, in ista peregrinatione  
mortalitatis nostræ, cum adhuc  
nemo est alteri conspicuus; nemo  
videt cor alterius, quid agit pax)  
de incertis non judicat, incognita  
non confirmat: proclivior est ad bene  
credendum de homine, quàm ad malè  
suspiciendum. Non se multum dolet  
errare, cum benè credit etiam de ma-  
lo. Perniciosum est autem, cum quis  
malè senserit fortè de bono nesciens  
qualis sit. Quid perdo si credo quia  
bonus est? si incertum est, utrum sit  
malus, licet quidem ut caveas ne  
fortè verum sit: non tamen damnes  
tanquam verum sit, hoc pax jubet)  
hoc mansuetudo amat. Quare pacem,  
& fugientem persequere eam etiam  
cum honoris aut commodi tui dispen-  
dio, ut possideas ac hæredites terram

(o) Ps. 58. (p) Aug. Ps. 147. man-



mansuetorum, & delecteris ac delectis in multitudine pacis. (q) Omni-  
no propter mansuetudinem, quæ in  
te prædicatur currimus post te Domi-  
ne Jesu, & persequimur pacem no-  
stram & proximorum, audientes,  
quod non spernas pauperem pecca-  
torem non horruisti confitentem la-  
tronem, non lacrymantem peccatri-  
cem, non Chananæam supplican-  
tem, non deprehensam in adulterio, non  
sedentem in Telonio, non supplican-  
tem publicanum, non negantem di-  
scipulum, non persecutorem discipu-  
lorum, non ipsos crucifixo restuos. In  
odore horum currimus, ut pacem  
mansueti, & pacificorum hæredita-  
tem capiamus.

(q) Bern. serm. 22. Cant.

### C A P U T VIII.

*Christiformitas cum IESV prædicante  
in Charitate fraterna.*

**D**ILECTIO proximi præceptum  
Christi est, et si solum fiat, sufficit,  
aje-



ajebat discipulus ille quem diligebat  
Jesus. (a) *Hoc est preceptum meum, ut di-  
ligatis: mandatum novum do vobis. Quo-  
ties hoc ipsum Christus inculcat? E-  
tiam Patrem rogat, ut in unitatem suæ  
supparem, nos charitate compaginet:*  
(b) *Pater sancte, inquit, serva eos in nomi-  
ne tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut  
& nos. Et non pro eis rogo tantum, sed &  
pro his, qui credituri sunt per verbum eo-  
rum in me. Quis fidelium mentionem  
sui nominatim fuisse tunc factam à  
Domino Jesu ambigat? quis id cogi-  
tans non exultet? quis non horreat  
impedire per libertatem arbitrii, ne  
Jesus exaudiatur pro reverentia sua?  
Irrita Christi pro nobis vota reddi-  
mus, si non diligimus fratres. Audi  
rursus efflagitantem: Rogo ut omnes  
unum sint, quanta quam perfecta  
unitate? (c) *Sicut tu Pater in me, & ego  
in te, & ipsi in nobis unum sint, nempe  
adunante spiritu sancto, qui est oscu-  
lum**

(a) Ioan. 15. (b) Ioan. 17. (c) Ibid.



lum Patris & Filii, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur. Denique eò doctrinam, eò exempla sua teò dona spectare asserit, ut invicem diligamus. Ego, inquit, *claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut & nos sumus.* (c) Et, Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum, ut cognoscat mundus, quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Quam flagrantibus votis desiderat nobis unitatem inter nos qui sic eam mandat, sic commendat, sic flagitat? Quid quod ejusdem unitatis tam admirabile symbolum & instrumentum instituit Eucharistiam, ut multitudinis credentium sit cor unum & anima una, sicut ex multis granis unus panis vinumque unum expressum coalescit? Ipsemet corpore ac sanguine suo corda omnium nostrum velut glutino coagmentare voluit. Quid quod secum ut capite velut membra nos in unum corpus compaginavit, quò sicut unius corporis membra

(c) *Ibid.*

bra



branos invicem adjuvemus? Aspice quomodo totum corpus convertatur in arumna, dum pes configitur spina, ut hanc avellat; quomodo uni membro dolenti vel gaudenti cætera condoleant vel congaudeant: hæc duo sunt scilicet ubera charitatis, compati & congaudere. Sed majus adhuc quiddam est, quod non membra tantum sua, sed etiam sui vicarios instituit transfigurando nos in se per imputationem quamdam, ita singulorum personam induendo, ut quod cuique proximo fecerimus, id sibi factum ducat. *Quod uni, ait, ex meis minimis fecistis, mihi fecistis. Et, qui suscipit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* O admirabile inventum Christi ad extensionem Incarnationis suæ, & ad meritum nostrum! Præter ineffabile Eucharistiæ mysterium, nobis aliud reliquit sui abeuntis memoriale sempiternum in omnibus ac singulis nostrum, etiam in miseris fame, siti, aut

O quo



quo alio malo laborantibus delite-  
fcens, ac tam moraliter præfens quàm  
re cælum & Euchariftiam certus in-  
fedit. Ecce quomodo nobiscum eft uf-  
que ad confummationem sæculi. O  
divitias inæftimabiles divinæ chari-  
tatis ac noſtræ, ſi hoc arcano diviniffi-  
mo uti ad benè de Deo merendum  
noverimus! Gloriosus Jeſus, miſeris  
carnis aſſumptæ exuendus eas novò  
modo aſſumpſit omnes ex miſeris, &  
in miſeris omnibus, transfigurans il-  
los in ſe, ne miſerias defugeremus, ne  
miſeros deſpiceremus, denique ut hac  
ſua inopia nos meritis ditaret. O cæ-  
citatem cordis humani, ſi tam pretio-  
ſam meritorum velut aurifodinam  
negligentes infinitas benè de Chri-  
ſto merendi oportunitates malè per-  
dimus! Principes imaginem ſuâ mone-  
tæ imprimunt, quò latè per regnum ſe  
propagent, & chari pretioſique in au-  
ro & argento fiant, imò pretium ip-  
ſum commercii, nec ullum ſit ſubditis  
niſi



nisi de principe suo lucrum, sic ubique  
suavem tyrannidem exercente. Quā-  
tò meliorem nobis Christus mone-  
tam procudit effigie sua insculptam  
per admirabilis illud morales impu-  
tationis Sacramentum! Nempe ut eo  
pretio negotiari boni trapezitæ, eo  
lucro præsentem feliciter ditari & gau-  
dere possimus. Sanè habet ista morales  
præsentia infinitas oportunitates ad  
usum & ad meriti compendium: præ-  
sto enim Christus est, ubicumque pro-  
ximus adest: Eucharistiæ quotidianus  
ut sit usus, certè jugis esse non potest:  
at præsentia Christi in proximis usu  
pio nil expeditius, nil parabilius, eam  
habemus semper in manibus, unde ad  
lucrum spirituale nihil oportunius.  
Atque, ut in Eucharistia unicum est sa-  
cramentum per universum orbem, etsi  
plures sint numero species Sacramen-  
tales, sic unicus in Christianis innu-  
merabilibus Christus: item sicut nulla  
est specierum particula, ubi totus non



subsit re ipsa Christus, sic totus in toto Ecclesie corpore, ac totus in qualibet ejus parte, in fratribus, in proximis moraliter adest, quot cernimus mortales, tot veluti Christos agnoscamus. Sanè etiam deformes Christi Jesu imagines revereri decet, vel eò tantum, quia ex instituto hominum Jesum repræsentant. Neque verò minores seu quantitate, seu qualitate species in Eucharistia minoris facimus in unum Jesum æqualiter contentum intenti, sic in proximis unicuique Jesum cæteris personarum adjunctis neglectis contemplari debemus. Quanto magis ex institutione Christi quivis hominum divinam ejus personam sustinens observari debet ac diligere? Si Jesum revelante Deo scires inter homines degere, nec discerni ab aliis posse, numquid ne unum odisses, omnes diligeres? omnes honore prævenires? Quid si etiam verum esset, quod nonnulli docuere

ut



ut putant Cyrillum & Chrysostomum  
sequuti (quanquā reclamante melio-  
re Theologia, ut late disputant, ac re-  
pugnante communi fidelium sensu;  
nam ea sine dubio in Ecclesia commu-  
nis sensus foret ac pervulgatissima in  
re tanti momenti, opinio si vera esset)

(a) Christum in Eucharistiæ Sacra-  
mento pastis tamdiu corporaliter ma-  
nere præsentem, donec ab lethifero  
peccato extrudatur, quibus oculis a-  
spiceres, quem semel communicasse  
scires, lapsum nescires? Atquitum  
ille quidem Christo plenus esset: ac  
Christus non esset: nunc ipso conte-  
stante Christo, Christus ipse est qui-  
cumque tuus est proximus, an pige-  
bit diligere? si quem Rex præciperet  
haberi ut personam suam, quis non  
eum certatim hospitio excipere, ad-  
juvare, officiis omnibus demereri  
studeret? Et Christus totum se in  
fratribus inesse clamat, & amari

O 3

amat,

(a) *Vasq. 3. p. tom. 3. qu. 204.*



amat & jubet. Etiam in debitoribus nostris later, uti sicut illis dimiserimus, ita dimittat & nobis, dimissum sibi interpretans. Quotus quisque Christi praesentiam non desideret? quorsum? opinor ad promerendam ejus gratiam: ecce habemus eum ubique obvium in occurrentium hominum turba: si fratrem & Christum quem vides non diligis, Christum quem non vides, quomodo diliges? (f) Ecce Christus eget in paupere, da quod tibi dedit Christus: ut des pascit te, & esurit propter te, donat & eget, quando donat vis accipere mendicus Dei, quando orat mendicus, in paupere eget & non vis dare ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos nostros. Obtendis fortè nomen pietatis crudelibus vocibus & dicis, & quid servo filius meus? istane verò magna justitia, ut habeat unde luxurietur filius

(f) Aug. de discipl. Christ. cap. 8. Psal. 48. & alibi.



lius tuus, egeat Dominus tuus? postremo numera filios tuos, adde unum inter illos Dominum tuum, unum habes, sit ille secundus; duos habes, sit ille tertius; tres habes, sit ille quartus. Si præter tuos filios nasceretur tibi unus, numquid eum aleres, aut laborem augendo, aut portionem minuendo? idem fac pro Christo, quasi familiæ tuæ auctario, inter filios tuos quos habes in terra, computa unum fratrem quem habes in cælo, cui totum dare debeas, vel divide cum illo. Nihil horum vis. Ecce quomodo diligis proximum tuum: erubescere ô Christiane, & si quæris audi quare. Caros delicatè nutriunt Turcæ & hospitibus publicis excipiunt eò tantum, quia pseudoprophetae eorum carum olim habuit peculiarem. Tu fratres tuos à Christo sic dilectos, sic in seipsum transformatos, quo affectu diligis? (g)  
*Qui habuerit substantiam huius mundi, &*

O 4

vide-

(g) 1. Ioan. 3.



viderit fratrem suum necessitatem habere,  
 & clausit viscera sua ab eo; quomodo  
 charitas Dei manet in illo? Christus pro  
 nobis animam posuit, & nos debemus  
 pro fratribus animas ponere, hoc  
 enim praeceptum Christi est, ut dili-  
 gamus invicem, non quomodocum-  
 que, sed sicut dilexit nos. (b) Quo-  
 modo autem ponet animam pro fratri-  
 bus qui non abjicit livorem, non de-  
 tractionem, non invidiam, non relin-  
 quit tantillum quod suum est, ut qua-  
 rat quæ Jesu Christi, hoc est proximi.

(h) Aug. Ps. 12.

§. 2.

**Q**Uam frequens vitium detractio!  
 (a) ubique penè in choro adoles-  
 centularum tales invenio, quæ acta  
 sponsæ curiosè observent, derogandi  
 non imitandi causa. Torquentur in  
 bonis etiam seniorum suorum, malis  
 pascuntur. Videas ambulare seorsum,  
 convenire sibi & sedere pariter, mox-  
 que

(a) Bern. Ser. 24. Cant.



que laxare procaces linguas in detestandum susurrium. Una uni conjungitur, nec spiraculum incedit in eis. Tanta est libido detrahendi, audientive detrahentem ineunt familiaritatem, ad maledicendum concordēs ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes & Pilatus, de quibus narrat Evangelium. (b) *Quia facti sunt amici in illa die*, hoc est in die Dominicæ Passionis. Non veniat anima mea in consilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo (c) *Detractores Deo odibiles*. Nec mirum cum id præcipuè vitium charitatem quæ Deus est, & quidem cæteris acrius impugnare & persequi cognoscatur. Omnis qui detrahit, primum quidem seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud detrahendo

O s

(b) *Luc. 23.* (c) *Rom. 1.* inten-



intendit, nisi ut is cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? fecit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt lingua maledica, & quantum in se est, necat funditus & extinguit: non solum autem, sed & in absentibus universis, ad quos volans verbum fortè, per eos qui præsentes sunt pervenire contigerit. Vides quàm facile, & brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo tabe malitiæ hujus inficere possit. Et sunt species pestis hujus, dum alii quidem nudè atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomunt detractionis. Alii autem quodam simulatæ verecundiæ fucō conceptam malitiam quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum gravitate & tarditate, vultum cæsto, demissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibilior, quanto creditur ab his qui au-



diunt, corde invito & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri: doleo, inquit vehementer pro eo quod diligo eum satis, & numquàm potui de hac re corrigere eum. Et alius: mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud, sed per me numquàm innotuisset: at quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico revera ita est, addit, grande damnum; nam alias quidem in pluribus valet. Cæterum in hac parte ut verum fateamur, minimè excusari potest.) Atqui excusares intentionem saltem si diligeres, ut amicos etiam in malefactis excusare soles. Quàm frequens Detractio, tam rara virtus est alienæ non invidere virtuti, nedum gaudere ad illam, nedum etiam tanto plus quàm ad propriam quemque gratulari, quanto se perpendit in virtute superari. Et sic tamen sponsus ordinat in sponsa charitatem. Quisquis alienæ fructibus virtutis in-



videt, divina beneficia in aliis perle-  
quitur : (d) quisquis boni aliquid per  
se non potest, amet illum qui facit, &  
in illo facit. Verbi gratia obligatus es  
uxori, venit in mentem quia melior  
est vita de qua dicit Apostolus : vel-  
lem omnes homines esse sicut me-  
ipsum, nempe coelibem, attendis eos  
qui hoc fecerunt, amas eos, & in ipsis  
imples quod in te non potes : hinc  
fortis est dilectio, quod sic omnes di-  
ligendo omnia eorum bona opera in  
ipsis implet, ac merita depradatur fi-  
ne merentium dispendio. Adeo dile-  
ctio proximi malum non operatur,  
ut etiam bona ejus omnia congau-  
dendo cum operantibus operetur.  
Quæ porro mala sunt operit charitas  
& portat.

(d) *Aug. Psal. 12.*

§. 3.

**Q**uomodo nos Christus dilexit?  
onus carnis nostræ, & peccata  
nostra ipse portavit. Ergo invicem  
dili-



diligamus sicut dilexit nos, alter alterius onera portemus, & sic implebimus legem Christi. Nunc, inquam cum in hac vita, id est, in hac via sumus, onera invicem nostra portemus.

(a) Cervos ajunt cum fretum ad insulam transeunt pascuarum gratia, sic se ordinare, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem cervice projecta caput collocet. Et quia necesse est unum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur, ut lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit post omnes recedat & ei succedat cujus ferebat caput cum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem. Sic nos habentes quisque onus nostrum portemus, & alienum mutuoque portemur. (b) Non habes

O 7

quod

(a) *Aug. 13. quest. 71.* (b) *Aug. Ps. 95.*



quod inte alius sustineat? Miror si non est. Quid audit Ecclesia? (c) *Sicut lilium in medio spinarum, sic proxima mea in medio filiarum*: non dictum est *in medio alienarum*, sed *in medio filiarum*. O Domine quas dicis spinas? ipsas filias responderet. Spinæ sunt propter vitiosos mores suos, filia propter Sacramenta mea, inter illas necesse est, ut gemamus. Separaturus est se, solitudines petiturus qui bene proficit, ut nullum omnino hominem patiat? quid si & ipsum antequam proficeret, nemo vellet pati? Si ergo quia proficit nullum hominem vult pati, convincitur quod non profecerit. Sustineamus itaque invicem tranantes hoc miseriarum pelagus, & satagamus servare unitatem spiritus in vinculo pacis, neminem judicantes, neminem condemnantes, omnibus compatientes. (d) Nulla res officiosum, suum laborem ad portanda onera,

(c) Cant. 2. (d) Aug. 87. *quest.* 7 l.



ra aliorum facit libenter impendi,  
nisi cum cogitamus, quanta pro nobis  
pertulerit Dominus, ut quemadmo-  
dum ille in eo, quod Verbum caro fa-  
ctum est, & sine peccato cum esset  
peccata nostra suscepit, non attendit  
sua, sed nostra: ita & nos libenter ad  
ejus imitationem, invicem onera no-  
stra portemus. Huic cogitationi ac-  
cedit etiam illa cogitatio, quia ille su-  
scepit hominem, nos autem homines  
sumus, & considerare debemus, quod  
ægritudinem sive animæ, sive corpo-  
ris, quam in alio homine videmus, et-  
iam nos habere potuimus, aut possu-  
mus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus  
infirmiorem portare volumus, quod  
ab illo nobis vellemus exhiberi, si  
fortè nos in ea essemus, & ipse non ef-  
set. Ad hoc pertinet quod ipse Apo-  
stolus ait, omnibus omnia factus sum,  
ut omnes lucrificerem. Omnibus  
omnia factus est cogitando, scilicet  
etiam in eo vitio se esse potuisse, unde  
cupie-



bat alium liberari. Deinde etiam illud cogitandum nullum esse hominem, qui non possit habere aliquod bonum quod tu nondum habes, etiam si latet, in quo sine dubio possit te esse superior. Istæ cogitationes depri-  
mentes superbiam, & acuentes charitatem faciunt onera fraterna invicem non solum æquo animo, sed etiam libentissimè sustineri. Porro Christum diligendo facile sustine-  
mus infirmitatem alterius, etiam quem nondum propter bona sua dili-  
gimus. Cogitamus enim quia ille quem diligimus, Dominus propter eum mortuus sit. Quam charitatem Apostolus Paulus nobis ingessit cum diceret: *(e) Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est: Ut si illum infirmum propter vitium, quo infirmus est minus diligimus, in eo Christum considerare-  
mus, qui mortuus est propter illum, Christum autem non diligere, non*  
*(e) Cor. 8. infir-*



infirmas, sed mors est. Quapropter ingenti cura & implorata Dei misericordia cogitandum est, ne Christum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Christum.) (f) Absit verò, ut quisquam infirmum licet fratrem lædat, seu aperto convitio, seu maledicto, sed neque clandestino & venenato suffurrio. Nec sufficit eos custodire à gravibus, cavenda sunt & levia: Nam quod tu leve putas, & ob hoc levius præcipitas, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, & secundum faciem judicans, unde uritur ille & moritur, clauso & lethali vulnere, intra semetipsum gemens, nec aliud versare in mente potest, nisi injuriam quam accepit. Non potest orare, non potest legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari. Et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis ad mortem vadit,  
anima

(f) Bern. Ser. 29. Cant.



anima pro qua Christus mortuus est, quid tu interim quæso animi habes? Quid oratio tua, aut opus quodcumque interim feceris sapit tibi, contra quem nimirum Christus anxie clamat de pectore fratris tui, quem contristasti, filius, inquit, matris meæ pugnavit contra me: & qui simul mecum dulces capiebat cibos, replevit me amaritudine. Quod si dixerit illum non tam graviter pro tam levi causa debuisse turbari. Responde: quanto levior est, tanto à te levius potuit non committi. Quanquam nescio quomodo leve dicas quicquid amplius est quàm irasci, cum vel hoc ipsum esse obnoxium iudicio ex ore ipsius acceperis iudicis. Quid enim? tune leve dicas in quo offenditur Christus, unde ad Dei iudicium pertrahi habes, cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis? Nemo contemnat quando peccat in fratrem, ait enim in quodam loco Apostolus:

(g) Sic



(g) Sic autem peccantes in fratrem, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Ideo quia membra Christi omnes facti sumus. Quomodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi? Tu verò accepta fortè injuria, non continuo more secularis obliquè ferire fratrem responsione festines, sed neque sub specie quasi corripiendi verbo acuto & urenti transfigere audeas, ullatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est, non grunnire quasi increpando, non labiis mustitare quasi murmurando, non narem contrahere aut cachinnare quasi subsannando, non frontem rugare quasi invehendo aut comminando; Sanè commotio tua ibi moriatur, ubi oritur, nec permittatur exire, quæ mortem portat, ne perimat, ut dicere possis & tu cum Propheta, turbatus sum, & non sum loquutus.

CA-

(g) *Aug. Ser. 16. de Verbo Domini.*



*Christiformitas cum IESU predicante in  
Dilectione inimicorum.*

**H**Oc proprium, hic character, hæc  
forma Christi, proindeque Chri-  
stiani, Dilectio inimicorum. Quid e-  
nim aliud Christus est, quàm inimi-  
corum amor? (a) Cum inimici essemus,  
reconciliati sumus Deo per mortem filij e-  
ius. (b) Si Christus non dilexisset ini-  
micos, nondum possideret amicos,  
sicut necdum, quos sic diligeret, esset,  
si non dilexisset, qui nondum essent.)  
Quid verò prædicat? Si diligitis eos, qui  
vos diligunt, quam mercedem habebitis?  
nonne & Publicani hoc faciunt. Quid er-  
go vult nos agere? Ego autem dico vobis,  
inquit, diligite inimicos vestros, & orate  
pro persequentibus & calumniantibus vos.  
(c) Si ergo jubet nos diligere inimicos  
nostros, unde nobis dat exemplum?  
de ipso Deo. Ait enim: ut sitis filij pa-  
tris

(a) Rom. 5. (b) Bern. ser. 20. Cant.  
(c) Aug. tract. 9. ep. Ioan.



tris vestri, qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: ita nos, qui filij Dei, hoc est, Christiformes, & unigeniti fratres esse debemus, quia inimicis nostris non possumus præstare temporalem solem & pluviam, præstemus lacrymas cum pro illis oramus.) Vide filium patris, & audi (d): *Pro eo, ut me diligerent, inquit, detrahebant mihi; ego autem orabam: quid orabat? Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* (e) Porro si bonus es, si filius patris, si Christiformis, habebis inimicum, nec habebis nisi malum. Ea autem tibi regula bonitatis præfixa est, ut imiteris bonitatem patris, & Unigeniti qui est in sinu patris. Nunquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? Tu quidem habes eum inimicum, qui tecum creatus est: ille verò eum, quem creavit. Inimicos ergo Dei malos, & in-

quos

(d) *Luc. 23.* (e) *Aug. Ps. 54.*



quos sæpè in scripturis legimus , & parcit eis ille , qui non habet quod ei imputet inimicus , cui omnis inimicus ingratus est ; ab illo enim habet quicquid boni habet : ab ipso enim habet misericordiam , & etiam quicquid est illud , unde tribulatur : ad hoc enim tribulatur , ne superbiat : ad hoc tribulatur , ut inimicus agnoscat excelsum. Tu ergo inimico tuo , quem intolerabiliter pateris , quid præstitisti ? si ille eum habet inimicum , cui tanta præstitit , & facit solem suum oriri super bonos & malos , & pluit super justos & injustos : Imò sol ipse justitiæ Christus oritur & malis , & pluit super eos imbrem ( gratiæ saltem sufficientis , saltem immediatè ad orandum , ac mediante oratione ad perficiendum opus justitiæ , ac tentationem depellendam ) tu , qui nec solem potes oriri facere , nec super terras pluere , unum aliquid servare inimico non potes , ut sit tibi pax in terra homini bonæ voluntatis.



Iuntatis? Ergo quoniam hæc dilectionis regula figitur, ut imitans Patrem filius & fratrem Christum, diligas inimicum, in hoc præcepto quomodo exerceris, si nullum inimicum pateris? Vides & prodesse tibi ad aliquid inimicos.) Ac vel hoc nomine diligendos; in summis Dei beneficijs poneris illos, si penitus nosse quanti sit eorundem dilectio, quâ tu careres, si careres inimicis. Nullus tibi sic prodesse potest amicus, ut inimicus. Vide Martyres, plus eis tyranni profuerunt odia, quàm profuissent obsequia. Amicos diligere, humanum est, inimicos diligere, Christianum, & Christiformitatis apex. Quanquam quid inter inimicos numeras futuros fortè brevi amicos? Saltem in gloriâ sperare debes amantissimos fore coheredes. (f) Ita plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, & nescis.) Quid causaris hujus  
præ-

(f) Aug. *ibid.*



præcepti difficultatem? Quis tibi te inimicior? at qui non modò diligis te, sed etiam usque ad insaniam deperiste. Joseph, David pepercerunt gravissimis hostibus domesticis, & alienis, cùm nondum præluxisset Christus exemplo. Ac meritò sanè laudandi illi, qui hoc fecêre ante Evangelium, ut læsi parcerent, appetiti ignoscerent, ac venditus ille non referret injuriam, sed gratiam pro contumelia solveret, hic non redderet retribuenti sibi Semei mala, sed misericordiam Sauli faceret, ac Absolonem lugeret. Hæc post Evangelium omnes didicimus, & servare non possumus? fac quod potes, pete quod non potes. Injuriam illatam, si qua tamen vera est illata, compara cum illis, quas Christus accepit; odio habuerunt illum gratis, tu gratis exosus es? Denique si præcepit inimicis tuis Dominus, sicut agebat David, ut maledicant tibi, & quis est, qui audeat dicere, quare  
sic



sic fecerit? At vindicare injuriam certus es. Vindica sanè, imò interfice inimicos: at quomodo vindicârunt & interfecerunt Saulum persecutorem Christiani orantes pro illo. Quomodo? Ecce unâ voce (g) prostratus est persecutor: surrexit enim jam non persecutor, sed prædicator. Qui enim persequēbatur, mortuus est. Quære persecutorem, non invenies, quia jam surrexit. Ergo illi potius occiderunt eum orando, quàm ille persequendo. Tu ergo sic ora pro inimicis, ut occidat eos Deus, id est, ut eorum malitiam, quæ tibi inimicatur, occidat. Sic enim non occidit quod creavit, sed quod ipsi sibi fecerunt. Homo enim & peccator duo nomina sunt: in ipsius duobus nominibus quære quid fecerit Deus, quære quid suaserit diabolus; homo à Deo factus est: peccatum suadente diabolo ab homine factum est: quis horum duorum te persequitur?

P

¶

(g) Aug. Hom, 6, ex. 50.



si enim tu benè vivis, non te persequitur, nisi qui malus est. Non ergo homo, sed peccator te insequitur, roga pro homine, ut extinguat Deus peccatorem. Cum enim mortuus fuerit peccator, nihil tibi adversabitur, imò consolabitur vivens, quia te in peccatis mortuus persequabatur.) Verum si tibi hoc vindictæ genus videtur mitius ac levius, esto acerbiorē penam infligas licet, at juxta Pauli consilium: Age, adure inimicos tuos lento igni. Quomodo? Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitiverit, potum da illi, & hoc faciens congeres carbones super caput ejus, sustinere non poterit, amicum efficies soluto per carbones gelu pectoris, in quo charitas refrixerat.

## § 2.

**C**eterum spes nobis (a) alia non est, nisi dimiserimus quisque de cordibus nostris, quicquid nos læs-

runt

(a) Aug. *ibid.*



rint homines. Nemo nos fallat. Aliud majus sacrificium non est, quod debeamus Deo, nisi quicquid boni est, etiam malis hominibus, sed tamen hominibus fecerimus. Dicit tibi Deus: ego non ex te cresco, sed tu ex me: sacrificium volo, quod profit homini, sic ad me pervenit, quod tibi profit: Potes mihi dicere, non habeo quod tribuam indigenti: non possum jejunare frequenter, & à vino & carnibus abstinere non possum. Nunquid potes mihi dicere: charitatem te habere non posse? ipsa est, cujus possessio tantò plus augetur, quantò amplius erogatur. Dimitte ergo quod tenebas, ne adversus te ille teneat aliquid, cui non habes quod dimittas. Dimitte, & dimittetur vobis, date, & dabitur vobis. Scito quia duæ sunt elemosynæ, una cordis, alia pecuniæ. Elemosyna cordis est dimittere ei, à quo læsus es. Nam dare aliquid indigenti aliquando quæris, & non habes.



Indulge peccanti quantum volueris, redundat tibi. Si in cellario, vel in horreo non habes quod dare possis, de thesauro cordis tui potes proferre quod tribuas. Et cum omnibus hominibus, etiam si sola sit bona voluntas, sufficiat, & eleemosyna cordis multo major sit, quam eleemosyna corporis, quis est qui vel umbram excusationis possit prætendere? Et illud attende, quia charitatis eleemosyna sine terrena substantia sufficit tibi; illa verò, quæ corporaliter datur, si non benigno corde tribuitur, omnino non sufficit.) (b) Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus, adjuvamus, ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed eâ nihil majus, quàm ex corde dimittimus quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grandius & ma-

(b) *Aug. Exch. cap. 73. & 74.*



magnificentissimæ bonitatis est , ut  
tuum quoque inimicum diligas , &  
ei, qui tibi malum vult, & si potest, fa-  
cit, tu bonum semper velis, faciasque  
cùm possis, illius memor exempli, qui  
in cruce pendens pro suis exorat per-  
secutoribus, suosque admonuit, di-  
cens : Diligite inimicos vestros, &c.  
Sed quoniam perfectorum sunt ista fi-  
liorum Dei, quò quidem se debet o-  
mnis fidelis extendere, & humanum  
animum ad hunc affectum, orando  
Deum, secumque agendo, luctando-  
que perducere; tamen quia hoc tam  
magnum bonum tantæ multitudinis  
non est, quantam credimus exaudiri,  
cùm in oratione Dominica dicitur :  
Dimitte nobis debita nostra, sicut &  
nos dimittimus debitoribus nostris,  
procul dubio verba sponsonis hujus  
implentur, si homo, qui nondum ita  
profecit, ut jam diligat inimicum, ta-  
men quando rogatur ab homine, qui  
peccavit in eum, ut ei dimittat, di-



344 CHRISTIFORMITAS,  
mittit ex corde : quia etiam sibi ro-  
ganti vult utique dimitti, cum orat,  
& dicit : Sicut & nos dimittimus de-  
bitoribus nostris, id est, sic dimitte no-  
bis rogantibus debita nostra, sicut &  
nos dimittimus rogantibus debitori-  
bus nostris. Jam verò qui eum, in  
quem peccavit, hominem rogat, si  
peccato suo movetur, ut roget, non  
est adhuc deputandus inimicus, ut  
eum diligere sit difficile, sicut difficile  
erat quando inimicitias exercebat.  
Quisquis autem roganti & poenitenti  
non ex corde dimittit, nullo modo  
existimet à Domino sua peccata di-  
mitti, quoniam mentiri veritas non  
potest. Quem verò lateat Evangelij  
auditorem, sive lectorem, quis dixe-  
rit, ego sum veritas? Qui cum docui-  
set orationem, hanc in ea positam sen-  
tentiam vehementer commendavit  
dicens : Si enim dimiseritis homini-  
bus peccata eorum, dimittet & vobis  
Pater vester cœlestis delicta vestra. Si  
au-



autem non dimiseritis hominibus,  
nec Pater vester dimittet vobis pec-  
cata vestra. Ad tam magnum toni-  
tru qui non expergiscitur, non dor-  
mit, sed mortuus est. Et tamen po-  
tens est ille etiam mortuos suscita-  
re.) Tu verò, ô Christiformitatis per-  
fectissimæ candidate, cave declines in  
obligationem istam, sed æmulare cha-  
rismata meliora, & viâ perfectiorem,  
quam tibi ostendo, insiste. Dimitte et-  
iam non rogatus, imò si habet aliquid  
frater tuus adversum te, etsi nullâ re  
abste offensus scias, prior ad illû va-  
de, & reconciliare, hoc oblatione mu-  
nerum ad altare longè præstabilius ef-  
fe ac divinius à Christo sancitum, præ-  
dicatumq; est. Quin tu etiam ad altis-  
simum charitatis Christiformis fasti-  
gium contende: si læsus es, inimicum  
adi, dimitti tibi obnixius pete, sin  
tu nullam dedisti offensionis causam  
reus, at occasionem certè innoxius &  
imprudens mirû ni dederis. Sic Deus



dilexit nos, cum gravissimè offensus,  
prævenit nos ad ipsum venire nolen-  
tes, & quotidie gratia præveniente ad  
reconciliationem nos provocat.

## CAPUT X.

*Christiformitas cum IESU patiente Pau-  
pertatem, Contemptum, Dolorem.*

## §. 1.

**D**IXIT verissimè quidam, tota vita  
Christi crux fuit & Martyrium.  
Paupertas, contemptus, dolor, trini-  
tas individua Christi comes, ac fida  
JESU societas. Pauper ei mater, faber  
ei nutritius, & ipse fabri filius audiit,  
paupere loco natus in stabulo, pannis  
involutus, cum Archelaus Herodi na-  
sceretur in palatio purpuratus. Crevit  
cum eo egestas. Vulpes, inquit, foveas  
habent, & volucres cœli nidos, filius  
autem hominis non habet, ubi caput  
reclinat, an inde est, quod inclinato  
in pectus capite velut in relictum sibi  
unicum cervical emisit spiritum? tri-  
guo mendicasse, cum remansit puer in  
Hie-



Hierusalem, non levis conjectura est, vitam in sudore vultus sui vescens pane suo, sustentavit, in laboribus quippe fuit à juventute sua usque ad prædicationis tempus. Prædicans vixit ex eleemosynis. At paupertatem cum semper dilexisset, tum verò in finem dilexit; nam sic fidi comites solent, ubi separationis tempus instat. Judæa latrocinio spoliatus est pauculis denariis, si qui erant residui, ejusdem prodicione venditus ipse non jam suus, sed emptitius, post discipulis & amicis nudatus ac vestibus, matre se nudat, eam Joanni, hoc item residuo discipulo, eum vicissim matri legans, spiritu denique suo Patris in manus eum commendans: quid quod etiam nudatus Patre quodammodo est, cum eum Pater dereliquit? O altissimam Jesu paupertatem! Altio rem tamen adverte, etiam suimet inops videri voluit impedito, ne erumperet, ut in Thabor, cum maxime urgebat neces-

P s

sitas,



fitas divinarum perfectionum splendore, sed obscuratus est, si unquam alias per admirabilem quasi earum defectionem. Cum tempestivus maximè fuisset mirificæ suæ potestatis usus adversus tot hostium nefarios conatus, ad retundendam flagellorum, spinarum, clavorum, aliorumque feralium instrumentorum vim, tum ea minimè uti voluit, ac numquam eam prodidit minus: quin etiam conservavit illam ipsam nocendi vim, & ad lædendum proprio generali concursu armavit ac movit cum tortoribus, ipsosque tortores. Eloquentiæ suæ vires, & inclinandorum cordium, quò placet omnipotentissimam potestatem si exerceret, malum ab cervicibus suis depelleret; si legiones Angelorum cœlo evocaret, propulsaret injuriam, nec humi tantum sterneret, sed etiam uno spiritu interficeret impios. Si coram Herode specimen levissimum potentiae Thaumaturgicæ ederet, salvus erat,



rat, nil tamen supra inopem potentia  
& eloquentia homuncionem tentat.  
Quin etiam sapientia ac sanctitatis e-  
gentissimus habitus est in Herodis au-  
la, ut fatuus irridetur, in Pontificum  
curia, in Pilati pratorio blasphemus,  
seductor, seditiosus, & qualis non  
traductus? Nil erat ei proclivius, quam  
sapientia ac sanctitatis nomen & glo-  
riam concitare, ultrò abstinuit, tanta  
se pauperie sui involvens? Atque  
hæc demum altissima Jesu paupertas,  
non modò sua ac suos, sed etiam seip-  
sum sic reliquisse. O Christiformis, sic  
nudus nudum sequere, ne fuge ege-  
statem, sed inventam, ut sponsam Je-  
su, ac tuam exosculare, & gratias age  
tanquam pro accepto beneficio, quo  
cætera nudus JESUM induaris: etiam in  
amicis thesauros invenit subtilis cu-  
piditas, divitias quærit, quisquis ami-  
cos sibi magis quam Deo quærit, nec  
amat contemni, quisquis amari amat.



**H**Aud minùs fidelis ac indivisus  
 Jesu socius fuit Contemptus;  
 nondum natus, & jam despectus erat  
 à Bethlehemitis, filius fabri, littera-  
 rum expertus creditus, irrita ejus spre-  
 taque Doctrina, illusa majestas, vio-  
 lata sanctitas, proculcata sapientia  
 tanquam latro habitus, potator vini,  
 seductor, blasphemus, dæmonium ha-  
 bens. Quid quod latroni insigni, viro  
 seditioso ac homicide posthabitus est?  
 etiam velut latronum signifer duos  
 inter suffixus cruci, omnium ludibriū  
 dirisacer. Hominum denique quan-  
 tum natum est scelestissimus aestima-  
 tus est, cum descendit in lacum  
 inferni, ac reprobis! O novissimum &  
 altissimum (a) O humilē & sublimem!  
 o opprobrium hominum & gloriam  
 Angelorum.) Ad has profundissi-  
 mi contemptus & Paupertatis abys-  
 sos ultima doloris abyssus accessit,  
 qua-

(a) Bern. S. ser. 4. hebdom. pæn.



quasi decumanus fluctus, ut impleretur illud, omnes fluctus tuos induxisti super me, & veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Fuit dolor ejus in conspectu ejus semper. Nam scelera hominum presentia, præterita, futura, ne minimo quidem unquam temporis puncto fugerunt ejus oculos: quantum verò dolorem hoc triste spectaculum cordi zelantissimo attulerit, conjice ex discipulo ejus, ita de se loquente: (b) *Quis scandalizatur & ego non uxor?* Item cruciatus atrocissimos passionis tam præsentis mente præcepit, quàm si sensibus incubuissent. Inde est, quod ait, potestis bibere calicem quem ego bibo, jam tum scilicet ac jugiter eum cogitatione prælibans. Quid porro hominum ingratitude prospecta, unde illud: *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem anima mea.* Quantum exaggeravit cordis afflictissimi tri-

P 7

sti-

(b) 2. Cor. 11.



stitionem? Quid humani gaudii sentire potuit cor tot aculeis alienorum criminum fodicantibus transverberatum? Tot cruciatibus tolerandis à martyribus suis, suaque causa ab electis lancinatum, tot ingratitudinis humanae malis & ludibriis excarnificatum? Et miramur Jesum, quod flevisse saepe, risisse numquam legimus. Quod si passionis universae acerbitatem attentus consideres, si per singula membra eas, proprios cujusque cruciatus pensans, si tortorum rabiem, tormentorum atrocitatem, novitatem, multitudinem ponderas, si personarum conditionem & varietatem, à quibus patitur, numeres, si metiaris longitudinem, latitudinem & profundum crucis, senties nihil ad doloris acerbitatem, nihil ad indignitatem supplicii, nihil ad horrorem carnicinae vel daemonum solerter excogitantium artes nocendi omnes furiali instigatione addi potuisse. Sed age



ge quod in dirissimo spectaculo divi-  
nissimum est patientiam singularem  
specta, mirare, ama, imitare. (c) Cum  
supra dorsum ejus fabricarent pecca-  
tores, cum sic extenderetur in ligno  
ut dinumerarentur omnia ossa ejus,  
cum fortissimum illud propugnacu-  
lum, quod custodit Israel, undique fo-  
raretur, cum foderentur manus & pe-  
des, sicut agnus ad occisionem ductus  
fuit, & tanquam ovis coram tondente  
non aperuit os suum, non adversus  
Patrem murmurans, à quo missus fue-  
rat, non adversus genus humanum, pro  
quo quæ non rapuit exolvebat, non  
denique vel contra populum ipsum  
peculiarem sibi, à quo pro tantis bene-  
ficiis tanta mala recipiebat. Plectun-  
tur aliqui pro peccatis suis, & humili-  
ter sustinent, hoc ipsum tamen eis ad  
patientiam reputatur. Flagellantur a-  
lii non tam purgandi quam probandi,  
coronandiq; & major in eis patientia  
com-

(c) Bern. ser. fer. A. pæn.



comprobatur, & commendatur. Quomodo non maxima censeatur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ ab his, quibus specialiter advenerat salvator, crudelissima morte mulctabatur sicut fur, nullum omnino peccatū nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens?).

§. 3.

**H**Æc omnia Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus, non patienter modò tolerantes, quicquid adversi undecumq; demum, quocumque modo, quacumq; ex causa evenit, quamdiu absq; culpa evitari nequit, sed etiam, ut particulas deciduas sanctissimæ Crucis Christi sanguine consecratas amāter gaudenterq; colligamus & exosculemur, quantumvis obluſtetur naturæ sensus. (a) Quisquis enim præter voluntatem aliquid patitur

(a) Aug. Ps. 31.



tur afflictionis, mœroris, humiliatio-  
nis, & non tribuit nisi voluntati Dei  
justæ non illi dans insipientiam, quod  
quasi nesciat quid agat, quia se talem  
flagellat, & illis talibus parcit, ipse est  
Christiformis ac rectus corde. Cuicū-  
que ergo aliquid accidit, dicat, Domi-  
nus dedit, Dominus abstulit, sicut Do-  
mino placuit, ita factum est, sit nomen  
Domini benedictum; non dixit Job  
patientis Christi figura illustris, Do-  
minus dedit, Diabolus abstulit, etsi  
abstulisse non dubitaret. Intende quis-  
quis adversa pateris, ne fortè dicas,  
hæc mihi diabolus fecit; Prorsus ad  
Deum tuum refer flagellum tuum,  
quia nec diabolus tibi aliquid facit,  
nisi ille, qui desuper habet potestatem,  
permittat.) Audi principem afflicto-  
rum, non haberes in me potestatem,  
ait minanti ac tumentis superbia judi-  
ci, nisi data tibi esset desuper, ut velit,  
nocere ipsius diaboli, ipsius homi-  
nis est, sed non continuo quem vult

occi-



occidit, ut autem nocere possit à Deo est. Semel dictum est, sententia firma est, non est potestas nisi à Deo, non dixit non est cupiditas nisi à Deo. Est enim ista mala cupiditas, quæ non est à Deo, sed quia ipsa mala cupiditas nulli nocet, si ille non permittat, non est inquit potestas, nisi à Deo. Flagellat Deus omnem filium, quem recipit. Nec te sine flagello speres futurum, nisi fortè cogites exheredari. Flagellat inquam omnem filium quem recipit. Itane omnem? ubi te volebas abscondere? omnem: & nullus exceptus, nullus sine flagello erit. Quid est omnem? Vis audire quàm omnem? Etiam unicus sine peccato, non tamen sine flagello. Sciat ergo quantum vult, pater est: sed flagellavit nos, & afflixit nos, & contrivit nos, Pater est. (b) Fili si ploras, sub patre plora, (ut ploravit etiam toto corpore Christus, cum sudavit in hor-

ro,)

(b) Aug. tr. 31. Ioan. & Ps. 103. con. 3.



to,) noli plorare cum indignatione,  
noli cum typho superbiæ : quod pa-  
teris, unde plangis, medicina est, non  
pœna, castigatio est, non damnatio.  
Noli repellere flagellum, si non vis  
repelli ab hereditate, noli attendere  
quam pœnam habeas in flagello, sed  
quem locum in testamento.) Sic Jesus  
proposito sibi gaudio sustinuit cru-  
cem. Dic itaque cum patiente Chri-  
sto, ego in flagella paratus sum,  
adde & cum agrotante Christiformi  
Bernardo (c), ego in flagella paratus  
sum, sciens me adhuc longè recipere  
imparia meritis. Vapulem sanè, vapu-  
lem ut malè operans, si fortè verbera  
inmerita reputentur : fortassis mise-  
rebitur flagellato, qui bonum in me  
non invenit, quod remuneret sponsus  
Ecclesiæ Jesus Christus Dominus no-  
ster.) (d) Dic etiam cum eodem Ber-  
nardo, imitante sponsæ prudentiam,  
fasci-

(c) Bern. Ser. 44. Cant. (d) Bern. Ser.  
43. Cant.



fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Ego pro acervo meritorum quæ mihi deesse scio, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei: hæc mea sublimior philosophia scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Hunc tamen dilectum fasciculum, Jesum crucifixum collige etiam tibi anima mea, hunc medullis inferre cordis, hoc muni aditum pectoris, ut & tibi inter ubera commoretur: habeto illum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis ne portans & non odorans, onus premat & odor non erigat. Memento quod omnes, qui portasse Jesum leguntur, ante se eum habue-



habuerunt, nullus retro. Si eum ante oculos habueris quem portas, pro certo videns angustias Domini, leuius portabis tuas.) (e) Memor plus pati Dominum pro te seruo, quàm te seruum pro Domino. Felix qui passiones suas seu animæ, seu corporis propter iustitiam ordinat, ut quicquid patitur, propter Dei filium patiatur, & ejus exemplo quatenus & à corde tollatur murmuratio, & in ore versetur gratiarum actio, & vox laudis.

(e) Bern. Ser. ser. 4. heb. pœn.

### C A P U T XI.

*Christiformitas cum Iesu moriente.*

§. I.

**I**ustitia Dei offensi dicit, perii, si Adam non moriatur: & misericordia dicit, perii nisi misericordiam consequantur. (a) Fiat mors bona Verbi incarnati, fiat & hominum Christiformium, & habet utraque quod petit. Quis non obstupefcat in verbo sapientiæ & forma, ista com-

(a) Bern. Ser. 1. de Annunt.

po-



positionis misericordiam inter & iustitiam, pariter atque iudicii? Siquidem manifestum est, nullam eis querimoniam occasionem relinqui: At bona mors, quam ratione fieri potuit? Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. An non pretiosa, si fuerit janua vitæ, porta gloriæ.) (b) Talis est Christi mors, talis Christiformium. Parva erat Domini nostri: humilitas in nascendo, accessit etiam, ut mori pro mortalibus dignaretur, humiliavit enim se, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ne quisquam nostrum mortem, aut aliquod genus mortis, quod homines ignominiosum arbitrantur horreret.) Natus es homo, moriturus es, imo jam mortuus es, quia certò moriturus, etsi lateat ultimus dies, ut observes omnes dies, mortuus inquam es. Audi enim quomodo loquatur medicus, cum de ægroti sanitate desperat,

(b) *Aug. de fide & symb.*



sperat, homo iste, inquit, mortuus est. Quò ibis, ut non moriaris? quid facies, ut non moriaris? ut Dominus tuus necessitate moriturum consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum, dedignaris mori? Quin potius consolare, quàm indignare: nam & Dñi Domini fuit exitus mortis. Patienter ergo mortē feramus illius exemplo, qui licet nullo peccato esset debitor mortis, & Dominus esset, à quo nemo animam tolleretur, sed ipse eam à semetipso poneret, etiam ipsius fuit exitus mortis, ne mortem istam timeremus, sed illam potius, unde nos liberavit per istam. Quid agit homo timens, fugiens, occultans se, adhibens remedia ne moriatur? nunquid agit ut non moriatur? sed ut paulò serius moriatur: non accipit debiti securitatem, sed postulat dilationem, quantumlibet diu differatur, veniet quod differtur. Morinecesse est, & nemo vult.



vult, dura necessitas nolle quod non potest evitari. Nolumus expoliari, sed volumus supervestiri, ut absorbeatur mortale à vita, volumus pervenire ad regnum Dei, sed per mortem nolumus, & tamen dicit tibi necessitas, hâc venies. Hâc venire dubitas homo, cum hâc ad te venerit Deus? ) Cum itaque statutum hoc sit omnibus hominibus semel mori, quid reliquum est, nisi ut benè mori satagamus? hoc exemplo suo, hoc verbo nos docuit moriens, vivensque Christus, nec tam benè vivere docuit, quàm benè mori: siquidem in homine Christiano non quæruntur initia, sed finis; non vita, sed mors, & ideò vita, quia mors. Certò fieri non potest, ut qui benè vixerit, malè moriatur. (c) Hinc tam sollicitè cautos esse nos monet Christus: Vigilate, inquit, quia nescitis diem, neque horam. Et vos estote parati, quia qua ho-

(c) *Aug. de Discip. Christi.*



hora non putatis filius hominis veniet. Quid quod vigiles ut efficiat, seipsum furi comparare non horret? Vide ergo, ut quisquis Christiformitatem vivendo hactenus sequutus es, eandem assequaris moriendo; mors enim sancta Christiformitatis est consummatio: ita fies quod monet Apostolus, configuratus morti Christi Jesu.

Ac primum quidem Christus nullo momento suæ mortis immemor vixit, adeo, ut etiam in triumphali transfigurationis pompa de suo excessu, hoc est morte, cum Moyse & Elia colloqueretur. Fac tu quotidie revoces in memoriam ultimum diem, quotidie decumbis in lectu, surgisque ut quasi per imaginem moriens, discas tandem te semel moriturum, sed & resurrecturum non dubites: tum autem huic negotio ultimo ac æternitatis decretorio vacandum sedulo erit, cum ægritudo admonebit propius adesse mortem.

Q

§.2.



**M**irum ni subito horrore totum se corripere & concuti sentiat homo inspecto cominus, eo quod terribilium, terribilissimum philosophus vocat: Verum non philosophico, sed Christiano oculo contuens spectrum esse, ac terculamentum agnosces, teque ipsum exemplo Christi excitabis & corroborabis. (a) Ipse unicus portans infirmitatem tuam, præfigurans in se personam tuam & totius corporis sui, nempe Ecclesiæ, cum appropinquaret passioni, & homine quem gerebat contristatus est, ut te lætificaret, contristatus est, ut te consolaretur. Potuit enim utique sine tristitia esse Dominus iturus ad passionem. Si potuit miles, non potuit Imperator? quomodo potuit miles? Attende Paulum exultantem, propinquantem passioni. Ego autem jam, inquit, immolor & tempus resolutionis meæ instat:

(a) *Aug. Psal. 31.*



instat : bonum certamen certavi, cur-  
sum consummavi, fidem servavi: de  
cætero superest mihi corona justitiæ,  
quam mihi Dominus reddet in illa  
die justus iudex, non solum autem mi-  
hi, sed & omnibus qui diligunt ad-  
ventum ejus. Vide quemadmodum  
exultat venturus ad passionem. Ergo  
gaudet coronandus, contristatur co-  
ronaturus. Quid igitur portabat? In-  
firmitatem quorundam, qui veniente  
morte contristantur. Sed vide quo-  
modo eos ducit in directionem cordis.  
Ecce tu volebas vivere, sed Deus aliud  
voluit: Duæ voluntates sunt, sed vo-  
luntas tua corrigatur ad voluntatem  
Dei, non voluntas Dei detorqueatur  
ad tuam. Prava est enim tua, regula  
est illa, stet regula, & quod pravam  
est ad regulam corrigatur. Vide quo-  
modo hoc docet Dominus Jesus Chri-  
stus. Tristis est, inquit, anima mea ut-  
que ad mortem. Et in agonia proli-  
xius orans: Pater si fieri potest, tran-

Q 2

feat



seat à me Calix iste : Ecce ostendit humanam voluntatem. Sed vide rectum cor. Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, hoc ergo fac gaudens, & si evenerit dies ille ultimus, gaude.) Dicat gratia increpans naturam exterritam, Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum? excitet lætitiā, & hymnum dicat cum Christo exeunte è cœnaculo ad passionem, dicat, desiderio desideravi hoc Pascha, id est transitum: Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor usquedum perficiatur! Ecce sponsus venit, exite vitales omnes facultates meæ exite obviam ei. Latus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Cupio dissolvi & esse cum Christo. Desidero te millies, mi Jesu quando venies, &c. His aliisque sin aliquem lætitiæ sensum concitabis, sedato certè pressoque timore immodico, qui conturbare solet imperatos, da operam, ut  
spon-



spontanea deditioe tui supremo domino Dei , ac iustitiæ peccatorum pœnas expetenti, lites, cadens ad ejus aras victima dicasque exiens , quod Christus introiens in mundum: Holocaustomata & pro peccato noluisti, tunc dixi, Ecce venio. Item in manibus tuis tempora mea & Domini Domini (signanter geminata vox) exitus mortis. Et iustus es Domine & rectum iudicium tuum. Dic cum latrone, & nos quidem iustè, nam digna factis recipimus; hic autem, Jesus moriens, quid mali fecit? & cum fratribus proditoribus Joseph, iustè hæc patimur , quia peccavimus in fratrem nostrum, Christum, in sanguis ejus exquiritur. Postquam primos mortis insultus Christiformiter sustinueris, perge Christum morientem imitari pressius. Lavit discipulorum pedes, fac ablutas tuos accuratissima totius anteaactæ vitæ, sin patietur infirmitas, saltem graviorum delictorum con-

Q3

fessio



fessione cum lacrymis. Attritus est  
Jesus propter scelera nostra, tu con-  
tritus esto propter tua, mortuus est  
propter peccata nostra, utinam tibi  
contriti cordis dolor mortem potius  
afferat, quàm ipsa morbi vis. Hæc sit  
mihi consolatio in extremis, sicut age-  
bat B. Job, ut affligens me dolore non  
parcat. Post ablutionem pedum,  
Christus viaticum corporis sui sum-  
psit, cum instar Davidis in aula Achis  
ferebatur manibus suis, hoc nempe  
Pascha manducare desiderio deside-  
raverat potius quàm agnum. Tu eo-  
dem sacrosancto viatico munire, sur-  
ge, comede; grandis enim tibi restat  
via, & ambulabis in fortitudine cibi  
illius usque ad montem Dei. Simul  
autem te corpori Ecclesiæ communi-  
care memineris, & gaude Ecclesiæ te  
filium in matris gremio exspirare. dic  
verbis ejusdem in commendatione  
animæ: licet peccaverim, tamen Pa-  
trem, Filium, & Spiritum sanctum  
non



non negavi, sed credidi. Accedat ad viaticum extrema Unctio, quia Christianus pugil ad agonem instructus venias. Nec sua defuit Christo in agonia facto unctio, cum cruentus sudor toto corpore manavit, eum perunxit. Hinc monita salutis dato familiæ si cui præes, eaque pauca & lectissima. Sic Christus verbis ultimis valedicens vitam doctrinamque suam in humilitatis & charitatis summulam contraxit. Bene adhæc precatus est familiæ suæ Christus: tu quoque bene precari memento. Et inimicis in cruce pepercit. Tu cave simultatis quidpiam tecum in regnum pacis importes: etiam offensus mitte ad eum qui habet aliquid adversum te, & veniam impetrare contende. Quod si habes unde testaris, lega piè quoad vales, Christum matrem Joanni, & matri Joannem, quasi Ecclesiæ & pauperibus legavit, nec intestatus obiit, qui corpus & sanguinem nobis testamen-



to reliquit. His omnibus peractis quid  
superest nisi ut medullitus exclames,  
Pater, in manus tuas commendo spi-  
ritum meum? Ita denique configura-  
tus eris morti Christi, factusque obe-  
diens usque ad mortem. Quanquam  
ultra est, quo magis configuratus &  
Christiformior esse possis, esto & obe-  
diens usque ad mortem crucis, pri-  
mum voto martyrii, illud martyris Ig-  
natii affectu usurpans: ignis, crux, be-  
stia, confractio ossium, membrorum  
divisio, totius corporis contritio, &  
tota diaboli tormenta in me veniant,  
tantum Christo fruar. Deinde præter  
lectum doloris tui, quem universum  
versabit Jesus in infirmitate tua, velut  
crucem tibi impositam, sit sibi lectus  
doloris, imo spei & solatii ipsa crux  
Christi: hic inter crucifixi brachia sua-  
vius, quam Moyses in osculo Domini  
obdormies. Horrendum quidem est  
incidere in manus Dei viventis, at sua-  
vere ruere in amplexus Jesu morientis.

Tuam



Tuam esse crucem, tuam Christi mortem contende, dic Patri: (b) *Protektor noster aspice Deus, & respice in faciem Christitui*; adde: (c) *Christo confixus sum cruci*. Dic ipsi Christo: (d) *Spes mea tu, non sis mihi formidini. Quoniam tu es Domine spes mea*. Si feci, unde dammare potes, tu non amisisti, unde salvare soles, Non confundas me ab expectatione mea. Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Hæc aliaque id genus aspirans anhelos pectore totus figere cruci, oculis, osculis. Ac ne quidquam Christiformitatis desiderari patiare, idem te crucifigat, idem tibi lethiferum vulnus lethumque inferat, zelus, (e) *Zelus*, ait JESUS, *domus tuæ comedit me*. Et: *Tabescere me fecit zelus meus*. Sitio, exclamat, nempè salutem animarum, sitiebat sitim nostram, inquit Nazianzenus,

Q s

quâ

(b) Ps. 83. (c) Gal. 2. (d) Ps. 118.  
(e) Ps. 68.



quâ facimus iustitiam. Si amas Dominum toto corde, totâ animâ, totâ virtute, tunc tam atroces ejus injurias, quantas toto passim orbe cernimus, videre potes & vivere? Exclamabis potius: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Gratulaberis te morte ex infelici illa peccandi, quam patimur dum vivimus, necessitate erui, dicesque: Placebo Domino in regione vivorum. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

§. 3.

**F**Allor, nisi prudentiam requiris meam, qui tam multa minutius Christi morientis imitamenta morienti præscribo: quasi verò moribundus vix compos sui ad hæc attendere va-



valeat. Verum nec moribundis omnibus deest idoneus mentis vigor, nec deerit (si satages rei tuæ, ubi tota agitur æternitas) qui tibi suggerat ista, vel similia quoad feres. Nec demum si me audies, abire fines mensum ullum, quin statò die, puta primo Dominico, præludas obitui tuo per simulacrum funebris hujusce apparatus confessione velut ultimâ, communione ut viatico, cæterisque mente peractis, quæ re perfici nequeunt, etiam Extremâ Unctione: ita non semel spe moriere Christiformiter, ac mente excedes Deo complantatus crebrò similitudini mortis ejus, ut semel remoriaris perfectè configuratus morti Christi. Sic aliquoties solennem cum discipulis, & cum Moyse & Elia fecit Christus excessus sui mentionem, dum viveret. (a) Cæterum est alia mors, quâ semper mori nos oportet, ut efficiamur planè Christiformes.

Q 6

De

(a) Ber. ser. 52. Cant.



De ea Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando sic loquitur, (b) *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Mors hæc non vitâ, sed vitæ eripit laqueis, ut possit dicere sic mortuus: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: utinam hâc morte ego frequenter cadam ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ & impatientiæ stimulos, ad angores solitudinum, & molestias curarum (c): *Moriatur anima mea morte justorum*, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bonamors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima sublevatur.

CA-

(b) Col 3. (c) Num. 23.



## CAPUT XII.

*Christiformitas cum IESV in Eucharistia manente.*

§. I.

**A**UGUSTISSIMO Sacramento Eucharistiæ, ubi amor Christi erga nos velut in throno dominatur, Christiformitas nostra consummatur. Hic Jesus diligit in finem, hinc Jesus in finem diligitur. Nusquam Incarnatio mystica relucet magis: sanè Eucharistia ipsius veræ Incarnationis extensio est, qua unio suppar & imitatrix hypostaticæ latè propagatur, & religiosè communicantibus impertitur, unde concorporales & consanguinei Christi Jesu, imò Christi effici-mur, in unum cum Patre Christoque, sicut ipse Patrem rogavit, consummati: sicut misit me, inquit, hoc est, generavit & incarnavit, vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, vitâ scilicet Dei ab eo acceptâ: & qui manducat me, vivet propter me, hoc est, sic vi-

Q 7

vet



vet vitâ mea ex ipso Sacramento corporis ac sanguinis haustâ , adeoque spiritu meo animatus Christificabitur. Ambierant principes generis nostri per cæcam credulitatem cibo vtitâ fieri Dij, scientes scilicet bonum & malum: justus autem ac misericors Deus ambitiosis votis indulgens nos Deos & homines facit , at simul reos homines punit. Vide profundum ejus consilium : Escam porrigit hominem Deum, quo fiant homines Dij inescati cibo vitali ad vitam, quos inescaverat cibo lethifero dæmon ad mortem ; at sensibus, qui ad fructum prohibitum videndo, tangendo, gustando adhinnierant , interdictum vult , arcetque illos velut profanum vulgus à tantò mysterio, abigit scientiam, fidem exigit: hanc fidem præcipienti Deo abnuet homo durum sermonem causatus, & Capharnaiticum illud *quomodo* concrepans proditoriâ Judæ buccâ, quam fidem diabolo dec-

ci-



cipienti annuere cunctatus non est?  
Christus itaque dignè comedentes  
comestus Christiformat, eos in se  
commutans, ac mysticè transubstan-  
tians ad modum ferè ipsius panis &  
vini verè transsubstantiati, ut quod  
felici anagrammatismo hæc verba  
continent, Sacramentum Eucharis-  
tiæ: chara Ceres in JESUM mutata,  
hoc ipsâ refelicius non in signis mo-  
dò, sed & aliquatenus id manducanti-  
bus dignè perficiatur. Nusquam ali-  
bi verius usurpes illud, quàm ad Chri-  
sti mensam: vivo ego jam non ego, vi-  
vit verò in me Christus. In pane po-  
tissimùm ac vino mortalium vita quo-  
tidiana consistit, hanc in illis sistimus  
Deo paratæ ad ejus aras occumbere  
victimæ; verùm cæsis illis sacrifico-  
rum verborum gladio, relictoque nu-  
do accidentium seu specierum cada-  
vere substituit sese frater noster pri-  
mogenitus omnis creaturæ, vitamque  
suam dignam supremo rerum Domi-  
no



no hostiam offert Patri vice nostræ,  
quam expiat ac sanè redimit. O ma-  
gnificam pro maiestate victimam ad  
condignè adorandum, ad gratias ei  
agendas pro beneficijs, ad propitian-  
dum illum pro peccatis, pro necessita-  
tibus mortalium exorando Patrem !  
Hoc mysterio non modò Patri fit ho-  
stia, sed etiam esca fit nobis, trahiti  
amat, ne quid holocausti & Pascha-  
lis agni super sit, in viscera nostra.  
Verbum caro nubeculâ specierum ob-  
umbrante carni nostræ sese ingerit  
novo quodam Incarnationis genere,  
& intimâ, arctissimâque nos unitate  
sibi inserit, ac inviscerat. Ne mora-  
lem qualemcunque, aut mysticam  
unionem putes esse: naturalem uni-  
tatem SS. Hilarius, Chrysostomus, &  
alii vocant, & quidam nec infimæ no-  
tæ Theologitalem credunt. Ego ma-  
ritalem potius ex naturali moralique  
mixtam cum sapientissimis Doctori-  
bus ex communiori fidelium sensu in-  
ter-



terpretari malim; hîc enim (a) efficitur una caro sponsa cum sponso, unus spiritus sanctus anima cum Christo.) Nimirum primum sponsalia nobiscum (b) celebrat Christus in baptismo, anulo fidei subarrhans nos, deinde nuptum ducit in Confirmatione auctioris gratiæ dote, postremò in Eucharistia matrimonium spirituale consummat non modo charitate, sed etiam ipsâ re permixtus nobis traiectione corporis sui in stomachi nostri fundû usq; ad totius corporis meditullium, unde non simus amplius duo in carne una, sed una caro. Atq; ita mutua corporum traditio consummatur, ut meritò adulter ille censeatur, ac sit, quis hoc pastu dedicatus peccat in corpus suum, tollitq; membra Christi, & facit membra meretriciæ turpitudinis, quibus membris Christus sit germen ac pignus futuræ resurrectionis. Sic deniq; Christus formatur in nobis, in eo manemus, simulque manemus  
(a) Ber. ser. 2. de Cœna. (b) ibid. in-



incorporati illi. Sic ejus spiritum ipsi primum ut capiti, tum deinde reliquo ejus corpori, quod est Ecclesia, connectimur unitate charitatis, quæ per hoc amoris Sacramentum maxime coalescit. (c) Quisquis ergo vis incarnari Christo, & vivere de spiritu Christi, in corpore esto Christi, incorporare illi & Ecclesiæ suæ, quæ cum eo (utpotè sponsa) una est caro per corporis sui participationem. Nunquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? meum vivit de spiritu suo, & tuum de spiritu tuo. Non potest vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Indè est quod exponens nobis Apostolus Paulus hunc panem: unus panis, inquit, unum corpus multi sumus, societas scilicet sanctorum, quæ hoc mysterio significatur & perficitur, propterea quippe sicut hoc semper intellexerunt homines (d) Dei, Dñus JESUS Christus corpus & sanguinem suum  
in

(c) *Aug tr. 26 Ioan.* (d) *Aug. ibid.*



in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. O Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat; habet unde vivat, accedat, credat, incorporetur ut vivificetur: non abhorreat à compage membrorum; non sit putre membrum, quod resecari mereatur; non sit distortum, de quo erubescatur: sit pulchrum, sit aptum, sit sanum, hæreat corpori per fraternam charitatem, hæreat capiti per dilectionem Christi, vivat Deo de Deo.)

## §. 2.

**C**ontemplare qualis in hoc Sacramento sit Jesus, qualem vitam vivat, ut hinc ideam Jesu amatoriam vitamque Christiformem compendio consummatam meditando, imitandoque colligas. Fecit hic ipse magi-

gui-



gnificum compendium sui. Totus in-  
est, tantumque habet amabilitatis,  
quantum habuit unquam, nec medio-  
cris ad cumulum facta est, sed qua fieri  
possit accessio. Verbum caro, fit caro  
cujusq; sumentis: siquidem fit una caro  
nobiscum, & habitat in nobis verè  
emmanuël, nobiscum Deus, non ad an-  
nos circiter triginta quatuor, sed usq;  
ad consummationem sæculi, utinam &  
usque ad consumptionem sæculi in  
mentibus nostris? Benjamin relictus  
nobis obses pro alimonijs, individuus  
exilij nostri comes & solator. Quid ex  
gratia unionis, quid ex intellectu ac  
voluntatis dotibus. quid ex pulchritu-  
dine, ex beneficijs ac divitijs, quas no-  
bis peperit investigabiles, quid ex a-  
more nostri, quid ex passione, quid ex  
titulis dignitatis, aut dignationis, aut  
amatorijs. Quid ex figuris, nomini-  
bus, elogijs amabilitatis habet, quod  
in Sacramento non concludat? Non  
aliud profectò amabile, nec alia  
ama-



amabilitas : hîc Deus homo, hîc sapientia ipsa, ipsa sanctitas: hîc pulchritudo , hîc divitias nobis partas velut in promptuario asservat , atque dispensat, hîc passionis memoriam ingerit, hîc gestat omnes titulos dignitatis, dignationis item officiosæ & amoris, nullum non exercet (ut singulos examinanti liquidum erit) verum spirat imprimis amor, & amorem inspirat. Profusis omnibus suis quid reliquum erit amanti, nisi ut seipsum penitissimè in pectus nostrum immergeret? Non erat satis amanti adunasse sibi nos similitudine imaginis per creationem, unione hypostaticâ per naturæ nostræ assumptione, gratiæ infusione per justificationem , ad extremum voluit sibi nos intimè coagmentare per incorporatione cibi & potûs, quâ unione cogitari arctior nequit. (a) Accedit quòd in materia tam parabili, & quotidiana Sacramentum instituit, quo

(a) Bern. ser. 2. de cœna.



quo nulli non sui etiam egentissimis  
faceret copiam, & quotidianam ad  
communione invitaret. Sed & hoc  
singularis est benevolētia, quod odor,  
species, sapor, pondus remanent ad  
mysterii ritum, & ad gustus suffragiū,  
ut horror penitus tollatur, & meri-  
tum sortiatur. Etenim ne humana in-  
firmitas esum carnis & potum san-  
guinis in sumptione horreret, Chri-  
stus velari, & palliari illa duo voluit  
speciebus panis & vini, quæ inter ge-  
neris humani victualia quodammodo  
tenent principatum: nam ad litteram  
quidem, præ cibus omnibus cor ho-  
minis confirmat panis, & vinum lati-  
ficat. Sic itaque corpus & sanguinem  
suum sumenda proposuit, ut sensus in  
uno foveretur, in altero fides ædifica-  
retur. Fovetur enim sensus in uno,  
dum solita tantum & consueta pro-  
spicit, ædificatur fides in altero, dum  
oculo carnis vidente aliud exterius,  
oculus cordis aliud sentit, & reve-  
tue



tur interius. Aliud enim latet, & aliud patet, posuit enim tenebras latibulum suum,) Ne conspicua majestas edentem opprimat, & meritum tollat: sed potius latentis involucrum suave excitet gustum, & ad charitatem illiciat. Adeo nostris commodis consultum voluit Amor. Præterea amaram esse decebat acerbissimæ passionis suæ memoriam, hanc tamen reliquit in epulo suavissimo; sibi amara, nobis dulcia servans, uti recordaremur eum cum gaudio mortem nostrâ causa pertulisse, & experiremur ipsi, quàm suave sit jugum & onus suum leve: Neque verò memoriale passionis suæ instituit, quasi ex nostra recordatione aliquid ei accederet, sed eo fecit, ut patientis memores amantem redamando vivamus ejus morte, & qui amans mortuus est sibi, vivat amatus, ac vivificet in memoria redamantum. Ac sufficebat quidem merum tanti beneficii signum, sed amor eum  
sui



fui ipſius eſſe monumentum voluit, unde Euchariftia imago quædam memorativa Chriſti eſt, utique patientis, ſed plenæ, ſicut Verbum imaginem Patris, at plenum Patre vocat Ambroſius. Amoris porro tam benefici magnitudinem exaggerat, quod ea nocte ſe tradidit, qua nocte tradebatur, & quidem Judæ traditori, in quo ſacrilegii ſimilis reos prævidebat innumerabiles, tradidit ſe. Quid quod non certo tantum orbis loco, non ſtato tempore, non perſonis lectiſſimis tanti myſterii uſum affixit, ſed ubique ſemper & omnibus permixit? Manet per diem & per noctem in altari, operitur dum veniant ad cœnam invitati, & operatur interim continenter ſacris ipſe ſacerdos, & iuge pro nobis ſacrificium. (b) Potesne æſtimare quale vel quantum eſt hoc ſanctum ſanctorum, & Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo omnium dulcedinum?

(b) Bern, *ibid.*

§. 3.



§. 3.

**S**ed vide jam Christi mores ac vitam Eucharisticam absolutissimum ut amabilitatis, ita & imitabilitatis, adeoque Christiformitatis compendium. Parvulus hic Jesus, ac verè exinanitus in orbiculo totus, in puncto orbiculi, in puncti punctulo, in punctulo punctuli, ô quanto est hic se olim infante minor! non humana saltem specie verendus patet, sed despicabilis latet sub vini & panis accidentibus velut pannosus, & fasciis involutus jacet in altari, tanquam in præsepio, heu! pabulum futurus pecorum, hæreticis scandalum, Judæis ac Turcis stultitia. Non decantatur hic psallam ab Angelis, non apertè Magis denuntiatur, solis fidei oculis patet. Verè Domine Jesu, tu es Deus absconditus! Et nesciri fugies ô Christiformitatis amans? Præterea nihil hic fictum, nihil imaginatum, nihil adumbratum, ipsa res, ipsa veritas, ipsa sim-

R

pli-



plicitas, simplicem fidei oculum hoc  
mysterium fidei exigit, & fictos pro-  
cul arcet, quibus alioqui non immor-  
talitatis epulum fiet seu venenum. I-  
taque epulemur non in fermento ve-  
teri, nec in fermento malitiæ, sed in  
azymis sinceritatis & veritatis. Ad  
hæc munditiem cordis & carnis im-  
perat ac impetrat sanguis agni im-  
maculati emundans ab omni pecca-  
to, & sanctissimus carnis purissimæ  
contactus. (a) Sancta Sanctis. Duo il-  
lud Sacramentum operatur in nobis,  
ut videlicet & sensum minuat in mi-  
nimis, & in gravioribus peccatis tol-  
lat omnino consensum. Si quis sapius  
accedens ad illud non tam frequen-  
tes, nec tam acerbos sentit iracundiæ  
motus, invidiæ, luxuriæ, aut cætero-  
rum huiusmodi, gratias agat corpori  
& sanguini Domini, quoniam virtus  
Sacramenti operatur in eo, & gau-  
deat, quod pessimum ulcus accedat  
ad sanitatem.) Quis non obstupefcat

(a) Ber. ser. 2. de Cœna.

ad



ad profundum non amplius infantis  
pusilli, sed triumphantis viri Jesu in  
Eucharistia silentium? Ne fari quidem  
potest, si modum advertis, quo in Eu-  
charistia existit. Et solitudo quanta  
hic? In templis noctu vigilat, & factus  
est sicut passer solitarius in tecto, simi-  
lis factus Pelicano solitudinis, sangui-  
ne suo nos ad vitam revocans, & sicut  
nycticorax in parietinis. Sint sanè An-  
geli in circuitu ejus, at in rusticanis  
maximè templis diu noctuque, imò &  
in urbanis: de gentibus vix est, aut o-  
mnino non est vir secum. Quid porro  
agit in hac solitudine derelictus? Orat  
Patrem, ac se jube sacrificium offert,  
majestatem supremam adorat, gra-  
tias agit beneficentissimæ misericor-  
diæ. Placat iratam justiciam, interpel-  
lat liberalem providentiam, legatio-  
ne pro nobis fungitur, ac mediatorem  
agit. Quibus quæso oculis numen a-  
spiceret mundum tot sceleribus con-  
taminatum, nisi Christus factus con-



civis noster jugi sacrificio eum expiaret? inde fortasse est, quod ubi sublatum erit Antichristi tyrannide sacrificium, continuo mundus interibit. An majorem Patri, quam Sacerdoti homuncioni obedientiam exhibuerit, expendito. Ad vocem hominis sacra verba enuntiantis, quam promptissimè, ne interposito quidem morulae puncto, obedit, seque sub vilissimis exuviis panis ac vini sistit. Nec intuetur personam Sacerdotis, sed in eo se cui vices tradidit suas, perinde improbi ac probi ad vocem paratissimus: Nullum excipit locum, nullum tempus, constantissimè obediendi legem, quam sibi ipse præscripsit, ac perseverantissimè tenet, nec probris aut injuriis quantumvis provocatus abscedit, sed manet usque ad specierum consumptionem, manebitque usque ad sæculi consummationem. Estne cadaver, baculus senis, cerea pilula, crucifixi effigies (quæ obedientis  
Ami-



similia proferebat, volebatque S. Ignatius magnificus ille obedientiae æstimator & exactor) quæ facilius verti se sinat quamcumque in partem, quàm Dominus IESUS in Eucharistia? Hic pariter eminet Mansuetudo Paschalis agni toties luporum dentibus laniati, nec balatum edentis, sed diffimulantis. Sed hic maximè dominatur Charitas, qua nos invicem diligere non præcipit modò, sed etiam facit inenarrabili nos unitate secum & cum Patre confœderans. Unde non priùs hoc Sacramentum frequentari coeptum, quàm missus fuit Spiritus sanctus, eoque perfectum, ut esset credentium cor unum & anima una glutino carnis & sanguinis Dominici. Nullum non ibi fraternæ charitatis, ac misericordiæ munus exercet, alit esurientes, potat sitientes, nudos induit juxta Apostolum, *induimini Dominum IESUM Christum*, in carcere orbis hujus nobiscum est, carceratos

R 3

car.



carceratur ipse specierum in angusto  
ergastulo, visitat & infirmatus infir-  
mos, cum ad eos defertur, sepelit via-  
tico moribundos, ac sapè consepeli-  
tur, corrigit, docet, pandit arcana, vi  
& efficacia. Denique ponit animam  
suam toties pro nobis ovibus suis,  
quoties nos carne sua pascit ac san-  
guine. Ut etiam dilectio inimicorum  
commendatur! Hic dignatus ipse vi-  
tulus in reconciliationis epulum fieri  
voluit, hinc procul arcet inter se dis-  
sidentes, nec prius admittit quàm re-  
conciliatos. Audi quàm reconciliatos  
non solum aliis, sed etiam sibi ipsis  
convivas velit. Interrogatis, ait Ber-  
nardus tract. de præcep. & dispensat.  
quidnam consulam homini, qui ad-  
versus quempiam commotus fuerit,  
sed non adeò, ut eum lædere ipse ve-  
lit, adeò tamen, ut libenter accipiat, si  
quo modo aliunde lædi contigerit, sit  
ne videlicet tutum ita commoto ac-  
cedere ad altare, an se subtrahere in-  
terim



terim debeat, donec compescatur commotio. Numquam mihi contingat turbatum ad pacis accedere sacrificium, cum ira & disceptatione contingere Sacramentum, in quo Deus indubitanter est mundum reconcilians sibi. Certè non recipitur munus quodcumque meum, quod defero ad altare, nisi ante placato fratre, quem me fortè læsisse meminero, quanto minus si meipsum nō pacaverō prius?) Jam verò patientiam Christi in Eucharistia quis explicet? Ipsa signa passionibus suis patientiam & passionem Christi commendant: Ut panis & vinum ad tantam gloriam transubstantiationis perveniant & Christificentur, quanta perferunt? Granum frumenti in terram vomere proscissam & subactam quasi contemptim projicitur, moritur, imbre, nive cœli soliꝑ; injuriis obruitur, si crevit in spicam & maturuit, illico metitur ferro, ligatur, flagello tunditur, cribratur, mo-



litur, mergitur aquâ, pinfitur pugnis  
hostiliter impactis, ad extremum igni  
coquitur. Nec prius transubstantia-  
tur, quam nova morte sacrificia fundi-  
tus intereat, solo cadavere acciden-  
tium relicto. Vinum item per quot  
tormenta perficitur? quotuplex vitis  
circumfossio, præcisio, ligatio, quot  
lacrymæ? racemus ferro cæditur, pe-  
dibus proculcatur, torculari obteritur  
semel, iterum ac tertio usque ad ulti-  
mam quasi sanguinis guttam excarni-  
ficatur. Estne quidpiam comestibile  
vel potabile quod assumere potuerit  
Christus ad passionem suam ac patien-  
tiam nobis commendandam? vel ex  
hoc victu quotidiano, quo vivis disce  
mortalis te non aliter ad vitam Chri-  
stiformem & immortalem, quàm pa-  
tiendo perventurum. Quanta autem  
ipsius Christi nuditas & paupertas sub  
panis ac vini tenuissimis spoliis? quan-  
ta in sacris pagorum innumerabilium  
mapalibus & altarium paupere sup-  
pel-



pellestili? ubi non videas magnificen-  
tius habitare Dominum pagi, quàm  
Dominum cœli? ubi non lavat manus,  
potatve in argento fulgente triobola-  
ris prædioli rusticus domicellus, quã-  
do corpus Dei sui locatur, ac sanguis  
ejus bibitur in livente stanno? hoc vi-  
det Jesus, hoc intelligit, nec indigna-  
bundus exit è templo aut vase stan-  
neo, sed pauperie sua se involvens  
permanet nobiscum in medio natio-  
nis pravæ sicut agnus inter lupos.  
Quid si adhæc insignem præsentissi-  
mæ majestatis contemptum confide-  
res? Recole hæreticorum, Turcarum  
ac infidelium convitia, scommata bla-  
sphema, projectiones in cloacas, in  
gulam brutorum, proculcationes &  
alia indignissima. Quid simile passus à  
Judæis Crucifixoribus? à fidelibus por-  
ro minora quidem in speciem, at sub  
nomine fidelium atrociora excipit ab  
sacerdotibus sacrilegis, ab indignè  
communicantibus, à magis, à templo-

R s

rum



rum violatoribus, à parum reverentibus tantæ majestatis etiam cæteroqui non usquequaq; impiis. Hæc ô Christi-formitatis zelantissime lege & luge, ac si quo signo contemptus bilem tibi aliquândo ignescere senties, ad Eucharisticam patientiam ocys eam restingue. Disce denique commori Christo in Eucharistia. Ibi mortuus distinctis speciebus significatur, quaten<sup>9</sup> vi verborum sub speciebus panis nil ponitur nisi corpus: sanguis verò sub speciebus vini, tametsi per concomitantiam nil Christi non ponatur sub utrisque. Deindè mortui instar vivit in Sacramento quasi moriens, ecce vivit, non videt, non audit, non tangit, nullam deniq; animi aut corporis ab organis ac phantasmatis pendentem operatione exercet, solo spiritu ac spiritus modo vivit mortificatus carne. Nimirū hic *Spiritus ante faciem nostram Christus, & in umbra ejus vivimus inter gentes.* Quin etiā speciebus velut cadaveri panis ac  
vini



viniconjunctus moritur quodammodo cum utroq; per communicationē idiomatum, sicut Deus cum humanitate moriente conjunctus Dominus mori & ipse dicitur, & cum eisdem symbolis ab communicante consumptis, ne quid omnino supersit holocausti, esse sacramentale deperdit. Tu itaque similiter spiritu vive, spiritu & ambula, sed & mortuus esto, ac vita tua sit abscondita cum Christo in Sacramento, vive simul cum Jesu gloriosus ac sublimis in cœlo coram Deo, at mortuus esto & humilis in terris coram hominibus, non videri amans sed esse. Ad extremum zelus Jesum illigatum sacramento tenet, ac transformat in escam, ut inescati mortales hamo zeli capiantur. Hinc & illud zelus domus tuæ, ecclesiæ scilicet, comedit me, & comestibilem facit. Ibi sitit sitim nostram, ut anima nostra desideret ipsum, sicut desiderat cervus ad fontes aquarum. Te o Christiformita-

R 6

tis



ris zelator flagrantissime, zelus idem devoret, & proximi salus consumat, zeluste Ecclesiæ & altari velut spōsæ illiget, sit zelus domus Dei, ibi thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum, dic cum Propheta: *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, domus mea, nidus meus, altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.* Pf. 83.

§. 4.

**H**Actenus explicata si serves, feceris absq; dispendio plenissimum Christiformitatis consummatæ compendium, ac parueris sapienti sic admonenti, cum sederis ad mensam divitis, impone gladium gutturi tuo, & scito quoniā te oporteat talia præparare. Præparaveris enim talia, & gladiū gutturi admoveris sedens ad mensam Christi, si ad vitam & mortē Eucharisticam Christi te composueris. Quod si præter hæc apparatus incarnationis mysticæ in prima huius opusculi parte instructum adjeceris, quoties



ties ad sacram te communionem ad-  
ornas, nimirum æstimationem tantī  
mysterii ac desiderium excitando, in-  
dignitatis tuæ confessionem ac peti-  
tionem non oscitanter adhibendo, tū  
verò divini epuli virtute Christifica  
Christiformatus, omnis consumatio-  
nis Christiformis videbis finem, & la-  
tum charitatis mandatū senties nimis.  
Atq; hæc vitæ Christi mysticæ clausu-  
la esto. Nec enim tentanda Christifor-  
mitas cum Jesu resurgente, ascenden-  
te ac sedente à dextris Dei, quæ non  
proponitur nobis ad laborē, sed pro-  
mittitur in præmium. Nostra interim  
conversatio sit in coelis, unde etiam  
salvatorem expectamus Dominum  
nostrum Jesum Christum, qui refor-  
mabit corpus humilitatis nostræ con-  
figuratum corpori claritatis suæ, se-  
cundum operationem qua possit  
subjicere sibi omnia.

Amen.

R 7

INCAR-







elaboratur, quantoq; difficilius exequimur quàm volumus, proponimus aut dicimus. Ac penum quidem lactis in promptu habebis, si primam & secundam hujus opusculi partem sapius meditando, legendoq; tractes, solidū verò cibum promes ex tertia parte. Dabis ergo, si me audis ô Christiformitatis zelator ardentissime, mediā quotidie horam, utiq; quartam horæ partem, meditationi, cujus argumentum, si aliundè accersere voles uberius, invenies in hoc opusculo non solum ad mensem, sed etiam ferè ad annum, si singula de Christi amabilitate capita discutias: deindè quæ de capitalib⁹ ejus virtutibus, ac moribus similiter accuratâ cogitatione pertractes: nec deerunt affectus varii, quibus meditationē inflammes, si semina jacta sparsim legendo hoc opusculum colligas. Præsto etiam erit in postremo tertiæ partis capite, unde ad sacrum Sacerdos, aut ad communionem laicus sese

ex-



excitet, imò etiam unde meditationis puncta decerpat, quoties de divinissimo Sacramento contemplari volet, nisi copiosius promptuarium habuerit ad manum. Ad hæc poterit nullo negotio contexi sacra hebdomas Litaniarum ex titulis, figuris, nominibus, & elogiis Christi, quæ in 2. parte referuntur, ac sua cuique diei series tributa recitari præmissis de more *Kyrie eleyson*, &c. in hunc ferè modum.

*IESV principium & finis,*

*IESV caput Ecclesiæ,*

*IESV sacerdos in æternum.*

Miser. n.

Deniq; singulis mensibus ac temporibus sua poterit accommodari praxis virtutis hoc ferè modo. Mense Decēbri, ac tempore Adventus praxis solitudinis arctioris ac silentii, ad imitationem Verbi infantis in utero. Ac prima quidem Adventus hebdomada excitanda erit juxta cap. 1. partis 1. Æstimatio Christi quanta poterit maxima. 2. Desiderium. 3. Confessio indig-

ni-



nitatis. 4. Petitio. Mense Januario par-  
vitas eligenda seu humilitas. Februa-  
rio, Simplicitas. Martio, Puritas. Apri-  
li seu tempore Quadragesimæ Patien-  
tia. Majo, Oratio à Paschate ferè ad  
Ascensionem. Junio circa festum S.  
Sacramenti, Charitas fraterna. Julio,  
Dilectio inimicorum. Augusto, Puri-  
tas. Septembri, Obedientia. Octobri,  
Mortificatio, quæ morienti Christo  
nos conformat. Novembri, Mansue-  
tudo. Porro vehementer proderit se-  
mel unoquoq; mense morienti Chri-  
sto conformari prævertendo cogita-  
tione per simulachrum mortis nostræ  
diem, sicut penultimo capite 3. partis  
suggestum est. Atque hunc ordinem  
& praxim qui servarit, is dies vivet,  
menses & annos Christiformes, sen-  
tietq; brevi Christum in se formatum  
crescere & confortari in virum per-  
fectum, in mensuram ætatis ple-  
nitudinis Christi.

CA-



*Miscellaneæ praxes & industria ad affectus Christiformes.*

§. I.

**E**Cce tibi epulum dapibile, unde praxes varias & lectissimas quæ palato tuo sapient, arbitrato tuo feligas, ac degustes. Copiâ moderatè alternante usu, nec sine delectu utentibus valebit ad varietatem, ne similitudo saturet, sed potius ipsa diversitas spiritualem gustum proritet. Nec deerunt quasi sua tragemata: sic enim appello exquisitos quosdam sensus, & praxes, quæ plus fragrare videntur suavitate quadam delicatæ devotionis, quàm fragrare vigore solidæ ac robustæ charitatis, quæque contemplando addictos, & maximè devotum foemineum sexum occupare solent magis quam viros agendi sollicitudine distentos. Talia ferè sunt pacta conventa de quibus infra, ac nonnulla capite sequenti referenda, quæ profectò  
ut



ut contemnenda non sunt, quasi mentis otiosa negotiatio, imo verò magni facienda utpote flagrantissimi amoris indicia & incentiva : tamen haud tanti æstimanda sunt, ut affectus meri ipsis effectibus æquiparentur, id quod fortè cuipiam venerit in mentem, quia revelatum legerit alicui Sanctæ tantum se promeritam fuisse solo affectu, quantum si rem effecisset: Ut enim non inficiet usque adeo provehi affectum, & intentionem posse apud Deum non tam actus, quàm intentionis æstimatorem; agrè tamen crediderim id sæpe fieri, cùm exequutio difficultates superare habeat, quibus intentio & affectus ex periculi distantia audentior omninò non sufficeret. Et verò gratia cooperans necessaria ad perficiendum opus valentior est, quàm operans seu excitans, quæ ad desiderandum, petendum, volendum, ac proponendum dumtaxat conceditur. Tunc si dixeris verbo cordis ac  
si pla-



si placet oris. Mi Jesu amare te desidero, quantum Angeli omnes ac Beati: quantum beata Virgo &c. continuò putes æquiponderare merito hunc affectum tuum amoris Angelorum omnium &c. ? Næ parum sanus sis, si tibi ea præsumptione adblandiaris. Hæc præmonere monuit me talium affectuum immodica apud quosdam jactatio, adæquè ac vilipensio apud alios, ne pretium sanctissimæ mercis in spiritali commercio, aut crescat nimis, aut vilescat.

§. 2.

**H**enicus Suso die Circumcisionis celebrabat festo carmine sanctissimum Jesu nomen, ac pro Xenii offerebat Christo. Contigit autem offerenti, ut Christus pro strenis ei nomen mutaret, Amandum vocans.

S. Edmundus didicit ab ipso Jesu sanctissimum nomen hoc inscribere fronti quotidie ante somnum.

Alexander Lusagius nobilis Brixien-  
xiensis



xienſis quotidie mane ſurgens ac veſpere decumbens, ſignabat frontem dicens: Jeſus crucifixus ſit in cogitationibus meis: deinde os ſignans dicebat: Jeſus crucifixus ſit in verbis meis, poſtremo cor ſignabat dicens: Jeſus crucifixus ſit in operibus meis. Idem aluit domi pauperem quaſi Chriſtum, eique ut ſamulus hero ſerviit.

V. ſervus Dei Episcopuſ Genevenſis, identidem pronuntiabat ac ſcribebat vernaculè *Vive Jeſus*. Idem nomen Poloniſ eſt bellica invocatio: eſto & tibi contra dæmōnes, & in tentationum vel quovis alio diſcrimine.

Petrus Faber primogenitus Patriarchæ noſtri S. Ignatii, vir ſolertiſſimæ devotionis decies præmittere ſolebat ſingulis horis canonicis, nomina ſacroſancta JEſu & MARIE totidem ad fines diverſos. Idem conſulenti de modo meditandi & ſuper mediis ad ſalutem author fuit, ut ſæpius hæc paucula mente verſaret. Chriſtus eſt pauper, ego divitias quero. Jeſus



esurit , ego satur esse volo. Jesus in cruce nudus , ego mollibus vestiri amo. Jesus tristis in laboribus , & in tormentis, ego hilaris & in delitiis.

S. Franciscus Xaverius singulis mensibus Christi vitam ac mortem meditando percurrebat. De eodem audi Paulum à Valle sic ex India scribentem in Lusitaniam. Utinam explicare vobis aliquis posset beatitatem, quâ tum delibuta est anima mea cum amplexus sum P. Franciscum. Verùm ego quid aliud dicam ignoro, nisi frigidis admodum verbis , verè, verè, verè servus Dei est iste, & numquam inveni similem illi. Sanè fratres non colloquio tantum , sed ore & conspectu ipso implet homines Deo serviendi desiderio tam suavi & odorifero, ut inenarrabile sit. Ejus os benedictione plenum est, nihil aliud nisi assidue personat: *Laudetur Iesus Christus*, voce tam pia , ut colloquentibus sensum eundem insinuet. P. Petrus Cani-



Canisius frequentabat similiter illud :  
*Laudetur Dominus Iesus.*

S. Ignatius Societatem cuius Fundator fuit, non suo, sed Jesu nomine appellari voluit, Jesu amantissimus, quo in eam admissi assiduo, tanquam monitore excitentur illo nomine ut meminerint, cui se probare duci debeant, atque in omnibus laborent, sicut boni milites Christi Jesu. Idem Hierosolymam petiit ac redire eodem vovit cum primoribus sociis, nil nisi Jesum spirantibus. Idem frequentabat hanc orationem: Anima Christi, &c. B. Coleta & S. Liduvina obibat mente sacra loca hierosolymitana: potes tu cum illis obire stationes, tibi etiam in cubiculo præfixas, quasi hierosolymis esses aut olivetum visceres, aut Bethlehemiticum præsepium.

S. Thomas Aquinas qui seipsum superavit, scribens de Christo frequens habebat in ore maximè ad fiduciam magnam excitandam: *Verbum caro factum est.* Ga-



Gaspar Bonus Minimus ducenties  
quotidie recitabat hanc oratiuncu-  
lam: Adoramus te, quoniam tu solus  
sanctus, tu solus Dominus, tu solus al-  
tissimus Jesu Christe.

Jacoponus ingemiscens ob Christi  
contemptum exclamabat interdum:  
Amor non amatur.

B. Magdalena de Pazzi, gestans  
manu crucifixum exclamabat? O  
amor! ô amor! ô amor numquam de-  
sistam vacare te amorem nostrum,  
spem nostram, nostrum totum. Solita  
cogitare de mysterio Incarnationis  
vidit S. Augustinum inscribentem  
cordi suo verba hæc: *Verbum aureis,  
caro factum est, sanguineis litteris.*

Agnes Ordinis Minorum centies  
quotidie recogitabat hæc verba: *Amor  
meus crucifixus est.*

S. Francisco verè Christiformi fa-  
miliaris hæc erat oratio: *Absorbeat ô  
bone Iesu mentem meam ignita & melli-  
fluavis amoris tui, ut amore amoris tui  
moriar,*



*moriar, qui amore amoris mei dignatus es  
mori.* Mira ejusdem fuit erga nomen  
Jesu reverentia. Agnum aluit ipse,  
ejusque imitator S. Franciscus de Pau-  
la, ut typus Christi esset præ oculis.  
Idem Christo nato mirifice addictus.  
Idem hymnum de sole cum Christo  
comparato composuerat, eumque mi-  
rificum.

Recitare Rosarium Camaldulense  
totidem globulis constans, quot Chri-  
stus vixit annos, ad singulos oratio-  
nem dominicam pronuntiando, men-  
te versatis præcipuis Christi vitæ my-  
steriis.

Recitare Rosarium amoris Jesu  
contextum ex tribus decadibus. Et ad  
grandiores quidem globulos loco  
orationis Dominicæ audiat anima Je-  
sum interrogantem, se sicut olim Pe-  
trum interrogavit, *Amas me plus his,*  
tum per singulos exiliores globulos  
respondeat affectu, quanto poterit  
maximo, etiam Domine diligo te  
S plus



plus terra, v.g. ad primum globulum, ad secundum plus cœlo, ad tertium plus amicis, &c. & ita gradatim ea quę charissima sunt postponendo, colloqui cum Christo, sicut cum amico. Ita Raymundus Lullus in dialogo amantis, & amati sua exprimit colloquia amatoria, sed maximè sponsa in Cantico Canticorum.

## §. 3.

**P**Lurimum valent raptim evibratę ex intimis præcordiis oratiunculę, quas jaculatorias vocant: habes in hoc opusculo sparsas plurima, quas tute colliges; hanc tibi familiarem velim ex ipsius Christi ore, eoque pretiosiore: *Pater clarifica filium tuum.*

Valent & plurimum actus omnigeni amoris, profero nonnullos ad exemplum.

*Amor protestans.* Diligo te Domine Jesu ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus meis.

**En**



Enamote Domine , & si parum est,  
amem validius.

*Amor eligens.* Eligo te Jesu amabilissime in æternum amoris mei objectum.

*Amor complacentiæ.* O Jesu dilecte  
votorum meorum, gaudeo te gloria  
& honore coronatum Dei esse filium  
unigenitum, plenum gratiæ & veri-  
tatis. Deus cordis mei, gratulor tibi  
ob infinitas illas, tum divini, tum hu-  
manæ naturæ perfectiones. Ex sigil-  
latim enumerari poterunt.

*Amor benevolentiae.* Omnis spiritus  
laudet Dominum Jesum. Omnes san-  
cti benedicant tibi.

*Amor desiderans.* Domine Jesu, quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? &c. Veni Domine Jesu, veni, Amen. Ostende Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis. v. c. 2. 1. part. &c. 2. part.

*Amor conformitatis & unionis.* Do-  
mine, quid me vis facere? Non  
S 2 sicut



sicut ego volo , sed sicut tu.

*Amor pœnitens.* O amantissime Jesu, peccavi in cœlum & coram te , non sum dignus vocari frater tuus. O amor , ô amor , ajebat S. Theresia, numquam posthac , numquam posthac. Ante mihi contingat mori, quam tibi displicere.

*Amor compatiens.* Quis mihi det Domine Jesu, ut moriar pro te, Ego sum qui feci, ego inique egi.

*Amor aspirans.* Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi, &c. Desidero te millies, mi Jesu, quando venies ?

*Amor appretians.* Quis nos separabit à charitate Christi ? tribulatio ? an angustia ? an fames ? Certus sum quia neque mors , neque vita poterunt, &c.

*Amor zelans.* Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti verba tua inimici mei.



§. 4.

**D**Enique pia sunt pacta illa cum Christo, quæ ingeniosa excogitavit devotio. Ea sunt hujusmodi. Tecum ita conventum cupio Domine Jesu, ut quoties dixerō voce, vel nutu, vel mente sola *Adoro te Christe*, significatum à me intelligas desiderium adorandi te, quantum te adorant millia ministrantium tibi Angelorum & Sanctorum, quoties te adoravit Simeon Stylites alique omnes militantis ac triumphantis Ecclesiæ verè adoratores tui, quantumque pertotam æternitatem adorabunt. Item quoties dixerō, quàm admirabilis es bone Jesu! volo intendoque cum Angelis ac Beatis suspicere infinitam majestatem tuam, bonitatem, sapientiam, omnipotentiam, &c. & quantum illi admirari possunt in æternum. Similiter dictū puta de cæteris actibus & affectibus quos indico, tu eos facile intelliges ac promes latius. *Æstimo,*

§ 3

Ago



Ago gratias, Benedico, Commendo, Credo, Desidero, Doleo, Dono, Fido, Gaudeo, Glorifico, Gratulor, Humilior, Imitor, Languesco, Laudo, Magnifico, Misereor, Obsecro, Offero, Peto, Queror, Resigno, Spero, Unio, Zelor. Ceterum nutus, quibus exprimi possunt tales affectus, sunt huiusmodi, aspirare, tollere sursum, aut in coelum oculos, jungere suppliciter manus, osculari terram, elevare manus, genu flectere, inclinare caput, decussare brachia ad pectus, imponere dexteram cordi, tundere pectus (id quod si perfunctorie fiat, Augustinus saepe ait, non aliud esse quam peccata sua pavimentare, hoc est obdurare cor) signum crucis imponere cordi, vel fronti, aut manui, spectare imaginem, vel osculari, vel tangere, &c.

Atque hæc de affectibus, universè erga Christum hætenus.



*Præses & Industria ad affectus erga  
Christum in festis ejus, in cruce  
& Eucharistia.*

§. I.

**M**YSTERIA præcipua vitæ Christi festo ritu celebrat Ecclesia, quæ spiritu ejusdem animatus celebrare debet Christiformis. Ea verò sunt Christi nati, circumcisi, adorati à Magis, inde præsentati, jejunantis, triumphantis in Hierusalem, Eucharistiam instituentis, passi, resurgentis, ascendentis, in Augustissimo Sacramento manentis. Tu sequere Matrem Ecclesiam, sponsam Christi, ejusque affectus indue. Vide quanto apparatu per adventum prævertat nascentem : per quadragesimale jejunium patientem ac resurgentem : per supplicationes ac rogationes ascendentem : per octiduum magnifico cultu celeberrimum in Eucharistia residentem. *Quanto magis affectus gau-*

S 4

dij,



dij, tristitiæ, & alios mysterijs ipsis, quæ recolit accommodet, ut regisset per sacrum octiduum reliquias cogitationis quæ festum egerunt. Tu itaque eodem actus spiritu Dei saltem triduum apparatus ad festum dato, sollicitudine singulari obeundo omnia spiritualia exercitia, curando tum maximè cordis munditiem, visitationes & colloquia minus necessaria omittendo, quò cœlesti visitationi animum adornes, frequentando aspirationes super mysterio festi, varijsque virtutum actibus velut tapetibus sternendo pectus, & jam inde, quid potissimum petat, cogitatione designando, ad confessionis item & communionis Sacramenta te accingendo, mortificationis denique aliquid exterioris præmittendo.

Ipso autem festo die meditatio circa mysterium ipsum, totaque diurna occupatio mentis versetur. Juvat consecrare cubiculum ipsum mysterio  
ce-



celebrato, quasi inter ipsos domesticos parietes perageretur, & à Christo peragente illud benedictionem in egressu ingressuque petere. Denique affectus præcedenti capite recensitos cum pactis conventis ad eundem dirigere. Porro per octavas ne mysterij memoria excidat, sed suppar ipsi festo in mentis sacrario agitanda est celebritas.

Atque hæc universè dicta singulis festis congruunt: possunt & singulis aptari praxes suæ; sed ne nimius in istis sim, quasi nihil solertiæ amoris relictum velim, mitto quæ erga Christum natum, circumcissum, &c. suggeri possunt innumera. Tantum profero industrias Anonymi sanè devotissimi ad colendum Jesum crucifixum, cujus unius praxis instar sit ac idea omnium.



*Praxis Anonymi erga Crucifixum.*

I. **C**rucifixum in effigie singulis  
mensibus stato die adorabat  
humiliter nudipes, ac Sacramentum  
fidei renovans, omnia ei se debere  
velut mancipium profitebatur: tum  
petita copia osculandi pedes, eos pie  
mancipij animo exosculabatur.

II. Diebus Veneris ad orationem  
crucis, ut fit in Parasceve, ab domesti-  
cis suis omnibus ipse præiens exem-  
plo, peragi curabat.

III. Tentatus confugiebat illico  
ad Crucifixum, re quidem ipsâ, si do-  
mi erat: cogitatione verò, si foris.

IV. Egrediens è cubiculo, adora-  
bat & osculabatur Crucifixum, com-  
mendatumque spiritum suum in ali-  
qua ejus plaga recondebat, atque eò  
velut in nidulum se cogitatione reci-  
piebat, si fortè in conversatione vana  
colloquia miscerentur.

V. Urgente tentationis vi, si fortè  
li<sub>2</sub>



liceret, in cubiculum corripiebat se, continuòque arrepto Crucifixo signabat illo se, & in passas ejus ulnas velut exterritus infans in matris gremium, aut milvo irridente pullus sub alas gallinæ se projiciebat, ibique absconditus, cruce velut cornu altaris prehenso, tutus provocabat in aciem hostes illo quasi classico: *Quis nos separabit à charitate Christi? &c.* interdum vibrans Crucifixum fugabat Dæmones hoc carmine sacro: *Ecce crucem Domini, fugite partes adverse; aut ad ipsum Crucifixum conversus: Per signum Crucis, aiebat, ab inimicis nostris libera nos Deus noster; aut etiam seipsum animans dicebat: In hoc signo vinces.* Denique virtutem Christi patientis oppositam tentationi revocans in mentem, extimulabat se ad imitandum, vel si defecisset, improperabat sibi his verbis: *eximium te scilicet Dei tui imitatore!*

VI. Lapsus in culpam sistebat se

S 6

reum



reum ad tribunal crucis, & à Christo  
iudice sententiam audiens, id sibi pœ-  
næ infligebat, ad quod condemnatum  
se inspirationis internæ susurro sentie-  
bat. Si quâ autem vanitate abripi se  
siverat, subiciebat caput pedibus  
Crucifixi, atque ita ingemiscens con-  
tra se pronuntiabat: *Super aspidem &  
basiliscum ambulabis Domine, & concul-  
cabis leonem & draconem.* Nonnun-  
quam nudipes, solo tectus indusio, re-  
ste in collum injectâ, restituebat ho-  
norem Deo ablatum, confitens ac de-  
testans peccatum, quo tantæ majestati  
creaturam anteposuerat; idque eò  
prolixius agebat, quò peccatum erat  
gravius.

VII. Interdum confessionem aut  
peccatum maximè exosum in charta  
descriptum abjiciebat ad pedes Cruci-  
fixi, dicens: *Tu fidejussor meus, Domine,  
responde pro me ac solve: nam solvendo  
non sum, perij miser, nisi chirogra-  
phum hoc sanguine tuo deleveris.*  
Qui-



Quidam imposita tumulo, vel reli-  
quijs Sanctorum peccata sua invenire  
dispuncta, quidni ego plus ex te,  
quam ex omnibus Sanctis sperem?

VIII. Petens gratia quidpiam à  
Deo submittebat caput Crucifixi pe-  
dibus velut ad rorem sanguineum ex-  
cipiendum: admovebat item mem-  
bra Crucifixi membris suis, oculos  
oculis, os ori, manusque manibus hau-  
sturus inde ut ex fonte ipso sanita-  
tem.

IX. Consulebat in dubiis Crucifi-  
xum, ut à SS. Bonaventura & Thoma  
factum perhibent, ita compellans: *Lo-  
quere Domine, quia audit servus tuus.*  
Quid hinc opus facto, quid dicto? De-  
nique cavebat ne quidpiam aggrede-  
retur inconsulto magni consilij An-  
gelo.

X. Si quid composuerat, offerebat  
Crucifixo emendandum, totum ipsius  
esse contestans, tu dictasti, tua est do-  
ctrina, tu emenda, si quid meum, hoc



est mendum, tota in te gloria redundabit.

XI. Si frigidum pectus sentiebat, amplexus Crucifixum sic affabatur : *Si mihi relictus essem, nunquam recalescerem ; at quoniam tu Domine IESU emissus è cœlo ignis es, ac frater noster, arctius te complector, certus etiam mortui gelidum corpus excitare in me posse amoris flammam : tum pectori suo validè apprimens aiebat : Emolli Domine duritiem cordis rebellis, imprime animæ meæ imaginem tui. Pone te ut signaculum super cor meum, ut signaculum super brachium meum.*

XII. Cùm devotionis sensus arefceret, sub cruce demittebat se hæc fatus : *Anima mea, Domine, sicut terra sine aqua tibi, tu nubes cruento imbri gravis animam meam beneficijs largius perfunde.*

XIII. Ad conversandum excitus, Crucifixum ori, oculis, auribus applicabat dicens : *Pone Domine ori meo custo-*

*sto-*



*stodiam: sepi aures meas spinis tuis. Rever-*  
sus ex conversatione, si quid sensua-  
liquo deliquerat, hoc pœnitentiæ ir-  
rogabat: Ori, ne Crucifixum oscula-  
retur, oculis, ne eum aspicerent, lin-  
guæ, ne quid ipsi, vel coram ipso lo-  
queretur ad certum spatium: quod  
quidem pœnitentiæ genus non vide-  
batur ei leve.

XIV. Æger sedebat in oratorij  
suppedaneo proximus Crucifixo, di-  
cebatque cum Chananæa: *Etiam Do-*  
*mine, nam & catelli comedunt de micis,*  
*quæ cadunt de mensa Dominorum suorum.*  
*Cruce tibi mensa, in qua calicem bibisti,*  
*quem dedit tibi Pater, & saturatus es op-*  
*probrijs: modicum hoc quod patior inde est*  
*velut mica de mensa tua, Auge, si lubet,*  
*dolorem, sed auge & patientiam.*

XV. Compassionis æstu aliquan-  
do succensus petebat à Christo co-  
piam lingendi plagas ejus, sicut canes  
lingunt ulcera, Lazari derelicti: tum  
verò quasi acceptâ potestate id agebat

re-



reverenter, immorans singulis vulneribus, & longum bibens amorem, subgebat mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

XVI. Amatoria, quæ sacri amantes usurpant inter se, exercebat ipse cum Crucifixo : etiam scribebat ad eum literas, deferens illas ad ejus pedes, & quidem æger scribebat idem quod sorores Lazari : *Ecce quem amas, infirmatur*. Interdum animum cum eo velut cum amico relaxabat, sermones miscendo ; aperiebat illi totum pectus, si quid ei negotium facesseret, si quo consilio indigeret, offerebat munuscula in actionem gratiarum, si quid feliciter gessisset.

XVII. Spinæ coronæ loco aliam ei de floribus texebat quotidie in hunc modum. Intentus ei in gratiam Crucifixi occasionibus mortificandi sensus corporis, & animi facultates : ferotino autem examine conscientie colligebat victorias sui, & in coronam

nam



nam compositas offerebat Christo patienti, rogans ut positâ spineâ illam capiti imponeret. Quòd si nullam de se victoriam reportârat, pudore suffusus pœnitentiam exposcebat à Crucifixo, ut ei dicere liceret: *Christo confixus sum cruci.*

XVIII. Memor quibusdam Sanctis obversatum semper fuisse JESUM Crucifixum, ut in eis impleretur etiam illud Moyſis: *Erit vitatua pendens ante oculos tuos die ac nocte*, nitebatur eum in omnibus faciendis tolerandisve habere præsentem, uniendo quicquid ageret, patereturve similibus Crucifixi factis aut toleratis. Quin & ipse sibi formam moriendi Christi morti conformem condiderat.

XIX. In animum induxerat suafore Deo, ac vocante ad amorem Crucifixi, eductum se de sæculi ne-  
more velut lignum scabrum ac distortum. idque in imaginem Crucifixi per Christiformitatem configurandum,



dum, itaque sistebat se Domino tanquam stipitem informem, dicebatque: *Tunde Domine IESV, tunde; noli parcere, imaginem veteris Adæ destrue, tuamq; restitue.*

XX. Domi forisq; crucem si habebat obviam, colligebat sese, adorabat Crucifixum, & in manus ejus spiritum suum commendabat, ut eum Patri restituens adjungeret sibi per eum amorem, qui spiritum ipsius à corpore abjunxerat. Haftenus Anonymus, cujus nomen dignum scribi in libro vitæ.

§. 3.

CÆterum quia effigies Crucifixi nulla verior est, aut illustrior, quam sacrosancta Eucharistia, Christum in ea residentem licet invisibilem, Christiformis velut visibilem colat, praxeq; suprâ relatas quoad potest, ad eum accommodatè transferat. Qui præsentem & habitantem in nobis Jesum, quem videt, eumque sui-



fuimet Crucifixi memoriam non colit ac diligit unicè, quomodo quem non videt sedentem à dextris Dei venerabitur aut diliget? Accedat ergo ad eum frequenter sive communicando, sive sacrum audiendo, faciendove, nec spirituales saltem ullo die communionem omittet, sive visitando in templo, sin reipsâ, quia fortè loci, vel temporis opportunitas deest, at certè cogitatione & affectu: in quo affectu summa totius devotionis posita est: si enim ardens eris, suggeret ipse, ut est ingeniosus amor, industrias & praxes, quibus hospitii tanto adornetur mens, nec patietur unquam nauseam quasi super cibo levissimo; sed novam semper esuriem ac sitim ciebit, adigetque ad crebras visitationes. Spectabit eum sub multiplici forma: ut Regem, judicem, fratrem, medicum, pastorem, Redemptorem, sponsum, &c. visitabit ut Christus ipse visitavit nos oriens  
ex



ex alto. Ac Matrem quidem visitavit humanitate assumptâ, inde Joannem sanctificans, post Bethleëmiticum præsepe nascens, hinc templum præsentatus, mox Ægyptum profugus, Inde Nazareth subditus parentibus. Quot prædicans visitavit infirmos & peccatores medicus? quot patiens obiit stationes? etiam mortuus visitavit inferos consolator, ac liberator, &c. Sic visitantis Christi affectus inspicier, ac visitati induet, sine tædio & maximo cum fructu visitationes hujusmodi sacras frequentabit.

#### C A P U T IV.

*Præxes & industria ad vitam & mores  
Christiformes.*

**C**Um præcipuæ partes Christiformitatis in imitando, operandoque consistant, erunt ad hoc referendæ præxes hætenus recensitæ, quibus velut remotis si propiores, quas subjun-



jungo, accesserint, non parum adjumenti accipiet Christiformitas ad imitationem.

1. Manè ubi surrexeris, Jesum adora, Deum & hominem firmiter credens; inde agnosce illum, ut Regem, Salvatorem tuum, ac principium bonorum omnium, simulque in abyssum nihili tui te abde coram tanta maiestate. Mox projice te in sinum Charitatis ipsius, Providentiæ ac Potentiæ, teque permitte totum ejus arbitrio regendum, sicut membrum capiti, sicut instrumentum artifice, sicut humanitas Christi ipsius se totam permisit Verbo, nihil nisi voluntatem ejus spirans. Sic vacua mente ac libera, omnique jure tui translato ad Christum, expeditissimus eris ad omnem ejus tanquam capitis tui nutum ac directionem. Denique spiritum suum à Christo pete, quo animatus nil cogites, nil dicas, nil agas, nisi ex sensu

fu



su motuque capitis tui , hoc est ex gratiâ , non ex naturæ vitio ac ductu.

II. Affuesce præsentem intueri Christum, sive quasi contemplantem nos de cælo , sive quasi cum hominibus adhuc conversantem, ( dumne vim imaginationi inferas ) sive denique, ut in Eucharistia residentem , & ex ea nos per radios seu catenam auream gratiarum ad se pertrahentem ; tum eundem velut normam operationis mox exercendæ tibi propone, ut quod hic & nunc in similibus circumstantiis acturum JESUM dictabit animus, hoc agas ipse. Sic B. Franciscus Borgia faciendum monet Opusc. 2. in speculo operum Christi. *Cùm evigilas, inquit, memineris, qua charitate Christus primò conceptus instanti Deum, totumque mundum, ac te nominatim dilexerit, Patrique obtulerit se ad mortem tua causa: atque nunc Domini fervorem alacritatem*



temque imitare. Cum templum adis, cogita IESVM in templo oblatum, vel ad illud euntem. Orans recordare Christi pernoctantis in oratione, vel in horto orantis. Cum interes sacro vel sacrificas, vide sacrificantem IESVM in cœna, in cruce. Similiter in actibus internis, in conversatione, in tolerandis adversis, invenies, quod imitere in Christo operante interius, conversante, patiente: ut late 3. part. declaratum est, tu itaque speculum hoc justitiæ intuens ei te conformare stude. Præterea adijunge actiones tuas actionibus Christi, tum ut agenda dirigat: tum ut acta meritorum suorum applicatione corrigat, juvans ad gratiarum actionem, si quid rectè gestum, ad veniam petendam si quid malè. Sic Ecclesia proponit hanc precatiunculam ante recitationem horarum Canonicarum. Domine IESV Christe, ego pro tuo honore te laudare, tibi que purè servire desidero, in unione illius perfectissimæ attentionis, qua

ta



tu Patrem orasti & laudasti in terris, ad-  
juva me tua gratia, quia sine te nil possum.  
Item post recitatas horas: Bone IESV,  
propitius esto mihi indignissimo peccatori,  
ego tepidum & distractum servitium meum  
commendo mellifluo cordi tuo emendan-  
dum atque perficiendum; responde qua-  
so, satisfac & supple pro me plenissime.  
Amen.

III. Attende diligenter ubique ac  
semper, quoad poteris, quid loquatur  
in te Dominus Jesus, quid velit, quid  
inspiret, ad quid invitet: Leva oculos  
tuos ad ipsum, ut fornicationem judi-  
ces (cum citato alibi Abbate Moyse)  
vel momentaneum à Christi velut e-  
xemplaris & speculi, capitisque te  
dirigentis contemplatione disces-  
sum.

IV. Operare quasi unus idemque  
esses cum Christo, tum anima, tum  
corpore: & sicut in Christo natura  
humana ac divina in unam personam  
con-



conveniunt, ita ut actiones utriusque licet diversæ uni eidemque supposito tribuantur. Sic actiones motusque omnes corporis, & animæ tuæ sint huiusmodi, ut à Christo velut principio sint, in ipsius corde, ac visceribus, ac per ipsum, & ad ipsum fiant. Denique ut vivas non tu, sed vivat in te, loquatur, agat, cogitet Christus. Id assequeris, si assuesces spectare carnem tuam velut carnem Christi, & animam velut animam Christi, ita ut videas quasi oculis Christi, audias ejus auribus, patientiam, humilitatem ac cæteras virtutes exerceas ejus patientia, humilitate, ac cæteris ejusdem virtutibus.

V. Agnosce non modò in te, sed etiam in aliis omnibus Christum, sicut in 3, part. c. 8. faciendum diximus, atque hanc praxim oratione & frequentatione actuum, sic tibi familiarem reddere stude, ut quoties proximum

T

vides



vides vel audis, toties Christi memineris, si honorem exhibes, si charitatem, si alloqueris, si quid aliud facis, id Christo exhiberi, fierique putes. Pie Thomas à Kempis in hortulo Rosar. c. 17. *Qui fratri indigenti subvenit, IESVM per manum ne labatur, retinet: qui fratri contristato solatio sum verbum respondet, osculum amaresum IESV oritur tribuit: qui alterius culpam plangit, & pro eo veniam petit, pedes IESV lavat & extergit: qui irascentem ad pacem reformat, lectulum floridum IESV in anima parat: Qui fratri in mensa meliora quam sibi apponit, pauperibusque tribuit, IESVM charitatis dapibus & mellis favo pascit: qui otiosa verba loqui prohibet, volucres abigit ne perdant sementem IESV: qui detractio- nem audire renuit, & loquentes inhonesta corripit, fures de domo Dei baculo ferit & fugat: qui mala alterius audit, & multum inde dolet & gemit, sacra IESV vulnera tangit & perungit, qui bona & proficua lo-*  
qui-



quitur, & sancta exempla narrat, aures  
Iesu suavi musica recreat, &c.

Infinitum sit industrias omnes in  
hoc genere numerando persequi.  
Porro hic valet illud: Dilige, & fac  
quod vis.

*Ad maiorem Dei-hominis gloriam.*

VIVAT JESUS, VIVAT,  
VIVAT.

F I N I S.

*Collegii Johis Jesu*

*Paderborna*


*1697.*



*1697.*

APPRO.





## APPROBATIO.


**E** Go infra scriptus Præpositus Provincialis Provinciæ Campaniæ Societatis J E S U, facultatem concedo, ut Opusculum inscriptum *Incar-natio Mystica, sive Christiformitas*, à P. NICOLAO ROGER Societatis nostræ Doctore Theologo conscriptum, & trium ejusdem Societatis judicio approbatum, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & Sigillo nostro munitas dedimus Altissiodori 26. Julii. 1649.

PETRUS LE CAZRE.







































INCARNATIO  
MISTICA  
P. KOGPI

Th  
3166